This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LP
26
293

Lp 26.293.



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
FREDERICK ATHEARN LANE,
OF NEW YORK, N. Y.
(Class of 1849)
JUN 15 1882



a/a

2819

~~2825~~

Lh 26.293

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
FREDERICK ATHEARN LANE,
OF NEW YORK, N. Y.
(Class of 1849)
JUN 15 1882



SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

EXHIBENS

M. A. PLAUTI AULULARIAM,

ANNOTATIONE INSTRUCTAM.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

Titus Maccius EXHIBENS

M. A. PLAUTI AULULARIAM,

ANNOTATIONE INSTRUCTAM,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI COCK,

JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET JUR. PROF. ORD.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

ALBERTUS AGATHUS DEENIK,

THIELA GELRUS.

AD DIEM XVIII DECEMBRIS MDCCCXXXV, HORA I-II.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG.

MDCCCXXXV.

1835

Lp 26. 293

Lane fund.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LÆ LAU.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

Sacrum.

PRAEFATIO.

Ut satisfacerem consuetudini legibusque Academicis, specimen hoc qualecunque edidi; in quo judicando, lectorum benevolentiam imploro. Nemo enim virium mearum tenuitatis magis conscius esse potest, quam ipse sum ego: quam ob causam anxius mihi subiit timor, cogitanti, me in judicium facultatibus meis gravius esse venturum.

Interea hanc mihi oblatam arripio occasionem, gratias Vobis *agendi*, Viri Clarissimi, *qui et publica institutione, et privatis praeceptis consiliisque, verae cruditionis fontes mihi exstitistis uberrimi, ex quibus, utinam tantum profecerim quantum potuissem. Nulla dies mihi recordationem* Vestrae *humanitatis*, Vestraeque *erga me benevolentiae unquam delere poterit, cum assidue semper, quod mihi vitae spatium dabitur, conaturus sum, ne infelici prorsus successu operam vestram in me impensam esse queramini. Gratias pro tantis beneficiis* Vobis, Viri Clarissimi, *referre plane nequeo; debitas dignasque agere vix possem: Hoc tamen* Vobis *persuasum sit rogo, mei me prius, quam* Vestri *nominis esse obliturum.*

Neque ingratae mentis crimen effugere possem, nisi et Vos *compellarem*, Viri Doctissimi, *quibus antea, in Gymnasio Harlemensi* Praeceptoribus *uti mihi contigit; qui, sedula cura, assiduo studio, egregiaque disciplina me Literas Graecas Latinasque docuistis.*

Tu *in primis celebrandus mihi es*, J. V. Peerlkamp, Vir Praestantissime, *qui Gymnasio Harlemensi praecës; tam carus discipulis tuis, quam laudatus ab omnibus, qui rectam instituendi rationem, et veram doctrinam intelligunt. Tu me Harlemi et deinde in Academia Leidensi versantem, tanta semper benignitate et comitate habere, consiliisque adjuvare non desiisti, ut numero me fere amicorum tuorum adscriptum esse, gloriari auderem. Si unum insuper munus, idque insigne, a* Te, Vir Doctissime, *flagitare mihi liceat, enixe exoptem, ut eadem, qua me prorsus* Tibi *devinxisti, benevolentia eadem affabilitate, et in posterum me prosequi digneris. Vivite* Vos *omnes*, Viri Doctissimi, *diu; vivite felices. Vos* Deus *O. M. multos per annos incolumes ad Graecarum Latinarumque Literarum laudem servet, ex intimo pectore precor.*

Neque Vos *silentio praeterire mihi fas est*, Viri Praestantissimi, Aestimatissimi, *quorum comitas mihi, a ditissimis Bibliothecae, quae Leidae est, subsidiis literariis remoto, benevolenti animo impertivit suppetias.* Te, *voco*, A. de Vries, Vir Venerande, *qui mihi saepissime, ubi fons Bibliothecae Harlemensis, cujus curam praeclarum in modum geris, deficeret,* (*ea enim mihi perscrutanti sat multa, neque vero omnia, quibus indigebam, praebebat*) *ex Tuis ipsius pretiosis opibus literariis, larga manu, tanta suppeditasti, ut gratam, semper talis beneficii memoremque mentem palam me testificari, sacrum nec minus jucundum mihi impositum esse arbitrer officium.* — Te *voco* J. Enschedé, Vir Consultissime, *qui me ea, qua es humanitate et indulgentia, amplissima Tuae Bibliothecae scrinia ipsum adire et exquirere passus es non solum, verum etiam omnia quae mihi in hocce qualicunque specimine conscribendo, auxilio adjumentove esse poterant, comiter largeque in usum meum mihi sumere concessisti. Grata jucundaque semper mihi hujus Tuae benevolentiae erit recordatio. Accipitote igitur*, Viri Praestantissimi, *gra-*

tuas, Vestris *in me muneribus minime pares, quas tamen mea in* Vos *pietas animo continere non sivit.*

Restat, ut quam brevissime rationes, quas in argumenti tractatione secutus sum exponam. Si quis roget, cur in Plauti Aululariam *inciderim? elegi, quoniam, placebat; placebat, quoniam, ut ipsis* Jani Dousae *utar verbis*, praeter dictionis genus vere Romanum, tota Ethica esse, et ad pudicos (unum alterumve locum excipias modo) honestosque mores facta videri potest. — *In plerisque Ernestianam secutus sum editionem. Loca quae* Hermannus *in* Elem. doct. metr. *tractavit, describenda curavi: hoc ideo feci, quoniam usus est* Hermannus *praestantissimo Plautinarum fabularum Cod. MS. de quo sic loquitur in Epistola* Elem. doct. metr. *praefixa p. 19 seq.* Qui Codex, quum in candidissima membrana omnes Plauti fabulas summo nitore scriptas continens, saepe a MSS. discrepet, duplicem mihi usum praestitit, unum quod scripturam ante oculos habebam, ab editorum mutationibus vacuam, alterum quod, etsi hic quoque Codex fortasse non immunis est ab recensione aliqua grammaticorum, saepe optimas lectiones non modo confirmavit, sed etiam primus et solus exhibuit. — *In nonnullis versibus transponendis* Goellerus *me assentientem habet, quod ubicunque indicavi.*

Quod ad annotationes attinet, ea, in quibus a solito scribendi more recedere mihi visus est Plautus, et quae obscuriora videbantur, quantum in me erat, illustrare conatus sum: quae vero recte ab interpretibus exposita esse credebam, ea praetereunda censui: deinde, quae similia apud alios, in primis Graecos scriptores inveni loca, ea cum Plautinis comparare studui.

His de opusculo dictis, triste mihi restat officium Vobis *valedicendi*, Sodales Amicissimi, Commilitones Conjunctissimi! *Vobis praesertim quos in* LITERARUM STUDIO, *socios habui; quibuscum tot, aeque utiles ac dulces transegi horas literis consecratas. Amicitia vestra, per omne quod in alma nostra*

Academia degi tempus, in pace et in castris, in otio et inter belli pericula, non exiguae mihi fons fuit dulcedinis jucunditatisque. Fugere illa quidem tempora; sed remansit grata illorum recordatio; remansit, remanebitque in posterum, ut spero vehementerque exopto, fraterna illa conjunctio nostra, quae verae felicitatis mihi exstitit caussa. Tristis discedo, nec vana tamen spe ductus, aeque firmam et constantem nostram fore amicitiam, ac mobile et fugax tempus esse expertus sum. Valeatis igitur Amici Conjunctissimi, Integerrimi! *vivite felices, neque mei immemores! Hoc demum* Vobis *persuasum habeatis confido, ubicunque sors mihi degendi locum designaverit, ibi Vos sincerum fidelemque habituros esse amicum.*

M. A. PLAUTI

AULULARIA.

DRAMATIS PERSONAE.

LAR	Prologus.
EUCLIO	Senex.
STAPHYLA	Anus.
EUNOMIA	Mulier.
MEGADORUS	Senex.
STROBILUS	Geminus Servus.
ANTHRAX, CONGRIO	Coci.
PYTHODICUS	Servus.
LYCONIDES	Adolescens.
PHAEDRA	Puella.

Res agitur Athenis.

ARGUMENTUM.

Senex avarus vix sibi credens Euclio
Domi suae defossam multis cum opibus
Aulam invenit, rursumque penitus conditam
Exsanguis, amens, servat: ejus filiam
Lyconides vitiarat; interea senex
Megadorus, a sorore suasus ducere
Uxorem, avari gnatam deposcit sibi.
Durus senex vix promittit; atque aulae timens,
Domo sublatam variis abstrudit locis.
Insidias servos facit hujus Lyconidis,
Qui virginem vitiarat; atque ipse obsecrat
Avunculum Megadorum sibimet cedere
Uxorem amanti. Per dolum mox Euclio
Quum perdidisset aulam, insperato invenit,
Laetusque natam collocat Lyconidi.

ARGUMENTUM PRISCIANI.

(UT QUIBUSDAM VIDETUR.)

Aulam repertam auri plenam Euclio
Vi summa servat, miseris affectus modis.
Lyconides istius vitiat filiam.
Volt hanc Megadorus indotatam ducere,
Lubensque ut faciat, dat coquos cum obsonio.
Auro formidat Euclio; abstrudit foris.
Reque omni inspecta, compressoris servulus
Id surpit: illic Euclioni rem refert,
Ab eo donatur auro, uxore et filio.

PROLOGUS.

LAR *familiaris.*

Ne quis miretur qui sim, paucis eloquar.
Ego Lar sum Familiaris, ex hac familia,
Unde exeuntem me aspexistis; hanc domum
Jam multos annos est ut possideo, et colo
Patrique, avoque jam hujus, qui nunc hic habet.
Sed mihi avos hujus obsecrans concredidit
Auri thesaurum, clam omnis: in medio foco
Defodit, venerans me, uti id servarem sibi.
Is quando moritur, ita avido ingenio fuit,

4. *Colo.* Acidalius *colo* mutat in *color*, quasi diceret Lar, se a patre avoque hodierni domini pro Lare cultum fuisse: non cum illo facio, nam non sibi constaret Lar, qui paulo infra versu 18 seq. dicit

At ille vero minus minusque impendio
Curare, minusque me impartire ho-
(noribus.

ex quibus sequitur omnino neglectum fuisse. *Colo* signif. *servo*, *custodio.*

8. *uti id servarem.* Sunt qui putent *thesaurum* et neutro dici posse genere, inducti Cod. Vienn. ad hunc locum glossa, quae haec habet: *nota thesaurum neutro genere dici:* sic et explicant v. 10 hujus Prol. et Aul. II. 2. 90. qui ultimus locus eam etiam interpretationem nactus est, qua *id* explicaretur per *propter id.* Non opus est, ut mihi videtur, hanc illamve explicationem amplectemur: facilius erit vocem *id* referre, non ut illi, ad *thesaurum* sed ad additum *auri.* Eodem modo infra II. 2. 90. *id inhiat* referendum puto ad v. 37, ubi exclamat Euclio: *aurum quid valet.*

Nunquam indicare id filio voluit suo:
Inopemque optavit potius eum relinquere,
Quam eum thesaurum commonstrare filio.
Agri reliquit eii non magnum modum,
Quo cum labore magno, et misere viveret.
Ubi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit,
Coepi observare, ecquid majorem filius
Mihi honorem haberet, quam ejus habuisset pater.
At ille vero minus minusque impendio
Curare, minusque me impartire honoribus.
Item a me contra factum est: nam item obiit diem.
Is ex se hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium
Pariter moratum ut pater avusque hujus fuit.
Huic filia una est; ea mihi cotidie
Aut ture, aut vino, aut aliquî semper supplicat;
Dat mihi coronas; ejus honoris gratia
Feci, thesaurum ut hic reperiret Euclio,
Quo eam facilius nuptum, si vellet, daret.
Nam compressit eam de summo adolescens loco.
Is scit adolescens, quae sit, quam compresserit;
Illa illum nescit, neque compressam autem pater.

17. *honorem.* *Honor* non semel significat praemium, vel donum, quod honoris causa datur. Vid Drakenb. ad Liv. II. 12. 15. Hoc loco igitur est sacrificium, uti et Nonius explicavit. Sic etiam *honorare* usurpatur pro, *debito praemio afficere.* Suet. Aug. 45. *pro merito certantium quemque honoravit.* Eodem sensu Graeci τιμάς, et τιμᾶν, vel ἐπαινεῖν ponunt. Xenoph. Memor. I. 3. 3. ἀλλ' ἐνόμιζε τοὺς θεοὺς ταῖς παρὰ τῶν εὐσεβεστάτων τιμαῖς μάλιστα χαίρειν. Xenoph. Oecon. IX. 15. καὶ ἐπαινεῖν καὶ τιμᾶν, ὥςπερ βασιλίσσαν.

27. *Quo eam facilius nuptum, si vellet, daret.* Insititius hicce mihi videtur versus. Lar enim, nempe Deus, probe sciebat, et Megadorum, et Lyconidem, amore incitatos, neque dotis cupidos, Euclionis filiam sibi uxorem petituros: Euclionis avaritiam satis etiam cognitam habebat; igitur thesaurus repertus nihil juvabat in Phaedra collocanda: e contrario, obstitit, ut videre est ex Act. II. Scen. 2. Natus mihi videtur versus ex v. 33 hujus prologi, qui iisdem fere contineatur verbis.

Eam ego hodie faciam, ut hic senex de proximo
Sibi uxorem poscat; id ea faciam gratia,
Quo ille eam facilius ducat, qui compresserat.
Et hic qui poscet eam sibi uxorem senex,
Is adolescentis illius est avunculus,
Qui illam stupravit noctu, Cereris vigiliis.
Sed hic senex jam clamat intus: ut solet,
Anum foras extrudit, ne sit conscia.
Credo aurum inspicere vult, ne surreptum siet.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

EUCLIO. STAPHYLA.

Exi, inquam, age exi! exeundum hercle est tibi,
Circumspectatrix cum oculis emissitiis.
Staph. Nam cur me miseram verberas? *Euc.* ut misera sis,
Atque ut te dignam mala malam aetatem exigas.
Staph. Nam qua me nunc causa extrusisti ex aedibus?
Euc. Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges?
Illuc regredere ab ostio, illuc: sis vide ut
Incedit! at scin' quomodo tibi res se habet?
Si hodie hercle fustem cepero, aut stimulum in manum,
Testudineum istum tibi ego grandibo gradum.
Staph. Utinam me divi adaxint ad suspendium

37. *ut solet*: interpunctionem muto, et pro: *senex jam clamat intus ut solet*: lego, *senex jam clamat intus: ut solet, Anum foras* etc. conf. Aul. I. 2. 4. ubi Staphyla dicit *Decies die uno saepe* (me) *extrudit* (*aedibus*.

6. *Stimulorum seges.* Aristoph. in Pluto v. 270. Πρεσβυτικῶν μὲν οὖν κακῶν ἔγωγ' ἔχοντα σωρόν. et eadem fabula v. 804. ἀγαθῶν σωρός.

8. *Incedit*: signif: hoc loco, lente, tarde, testudineo, ut vocat Plautus, gradu ambulare. Senec. Nat. Quaest. VII. 31. *non ambulamus, sed incedimus*. Vid. etiam Virg. Aen. I. 46. ibique Servius.

Potius quidem, quam hoc pacto apud te serviam!
Euc. At ut scelesta sola secum murmurat!
Oculos hercle ego istos, improba, effodiam tibi,
Ne me observare possis, quid rerum geram.
Abscede: etiamnunc, etiamnunc; etiam: ohe, nunc
Istic adstato; si hercle tu ex istoc loco
Digitum transversum, aut unguem latum excesseris,
Aut si respexis, donicum ego te jussero,
Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci. —
Scelestiorem me hac anu certe scio
Vidisse nunquam: nimisque ego hanc metuo male,
Ne mihi, ex insidiis, verba imprudenti duit,
Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum:
Quae in occipitio quoque habet oculos, pessuma.
Nunc ibo, ut visam, sitne ita aurum ut condidi,
Quod me sollicitat plurimis miserum modis.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

STAPHYLA.

Nenu, mecastor, quid hero ego dicam meo
Malae rei evenisse, quamve insaniam,

18. *digitum transversum, aut unguem latum.* Est idem quod brevissimum spatium. *Digitus*, et δάκτυλος, dicebatur proverbio de re valde brevi, parvaque; Alcaeus:

Πίνωμεν. τί τὸν λύχνον ἀμμένομεν;
(δάκτυλος ἀμέρα.

ubi Vid. Janus pag. 57. et Schweighaus. ad Athen. X. 35. Anthol. Graec. Lib. II. tit. 1. v. 9. *καὶ Περιχλῆς δάκτυλον οὐ προίβη.* Noster Bacchid. III. 3. 19. Horat. Carm. II. 8. 3. seq.

Dente si nigro fieres, vel uno
Turpior ungui;

Saepissime de parvo spatio noster usurpat: quumque id contrahere minusque facere vellet, dicebat *digitum transversum*, ut hoc loco: vel *pedem latum*, ut Mostel II. 2. 3. similis.

25. *in occipitio quoque habet oculos.* Similiter Graeci de versuto dolosoque dicere solebant: *ὄπισθεν κεφαλῆς ὄμμαθ' ἔχει.*

1. *Nenu:* variis modis hunc locum

Queo comminisci: ita miseram me ad hunc modum
Decies die uno saepe extrudit aedibus.
Nescio, pol, quae illunc hominem intemperiae tenent;
Pervigilat noctes totas: tum autem interdius,
Quasi claudus sutor, domi sedet totos dies.
Neque jam quo pacto celem herilis filiae
Probrum, propinqua partitudo cui appetit,
Queo comminisci; neque quicquam melius est mihi,
Ut opinor, quam ex me ut unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero.

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

EUCLIO. STAPHYLA.

Nunc defaecato demum animo egredior domo,
Postquam perspexi salva esse intus omnia.

tentaverunt viri docti, legentes pro *nenu*, *non enim*, vel *nec nunc*, aliter; *nenu* retinendum videtur: significat enim *non*. Lucret. III. 200. *nenu potest*, ibique vid. interpretes. Idem IV. 716.

Nenu queunt rapidi contra constare (leones.

11. *Literam longam:* diversas hic locus nactus est interpretationes. Sunt qui designari putent literam *L*, alii Graecam *Λ*: alii *T*. Lipsius putat Plautum literam *I* designasse; quoniam triplicem ejus sonum deprehendit: primum ejus longae, et vere longae, quia non ut ceterae geminatur, sed productior fit, et longitudine velut dupla. Ad suam sententiam stabiliendam, ex Ausonii Epigr. 120. affert.

Quid, imperite, P putas ibi scriptum,
Ubi locari jota convenit longum.

Quae tamen omnia non valde mihi placent: magis H. Aleandri arridet conjectura, licet constantem hujus loci mutet scripturam: legit enim;

quam ex me ut uvam faciam linea Longa, reliq. haecce addens. Sic enim non modo personae decorum servatur, si quidem muliercularum potius est, uvam ad domesticos usus filo suspendere, quam literas facere, sed etiam ad nomen σταφυλή h. e. *uva*, quo nomine anus illa vocabatur, respicitur. Id quod insolens Plauto non esse, ex nominis significatione jocum captanti, quis ignorat?

1. *defaecato.* Defaecatus hoc loco significat hilaris, laetus: translatio sumta a vino, quod faecibus purgatum est. Rem exposuit Gronov. Lect. Plaut. p. 48.

Redi nunc jam intro, atque intus serva. *Staph.* Quippini
Ego intus servem: an ne quis aedes auferat?
Nam hic apud nos nihil est aliud quaesti furibus:
Ita inaniis sunt oppletae atque araneis.
Euc. Mirum quin tua me causa faciat Juppiter
Philippum regem aut Darium, trivenefica.
Araneas mihi ego illas servare volo:
Pauper sum, fateor, patior: quod di dant fero.
Abi intro; occlude januam, jam ego hic ero.
Cave quemquam alienum in aedis intromiseris.
Staph. Quid, si quispiam ignem quaerit? *Euc.* extingui volo,
Ne causae quid sit, quod te quisquam quaeritet.
Nam si ignis vivet, tu extinguere extemplo.

3. *intus serva.* Gronov. Lect. Plaut. p. 122. haec habet: servare alicubi, in aedibus, domi, absolute et sine casu dicitur pro curam gerere eorum, quae domi sunt.

6. *inaniis atque araneis.* Amat Plautus jungere verba eundem fere sonum praebentia. Captiv. II. 3. 36.

quae meminí, mora mera est mone-
(rier.

eadem fabula IV. 1. 7.

Ita hic me amoenitate amoena amoe-
(nus oneravit dies.

Cas. IV. 4. 7.

mala malae male monstrant.

et sic passim. Neque hoc Aristophani insolens. Plut. 453. ὅτι τροπαῖον ἀναστήσαιτο τῶν ταύτης
(τρόπων.

Vesp. 368.

ἡ δ' ἐμοὶ Δίκτυννα συγγνώμην ἔχοι
(τῶν δικτύου.

A Platone hoc luditur. Vid ejus Sympos. cap. 11. Παυσανίου δὲ παυσαμένου (διδάσκουσι γάρ με ἅσα λέγειν οὑτωσὶ οἱ σοφοί) vid. insuper Heindorf. ad Phaedr. § 114. De loco aranearum pleno vid. Theocrit. Idyl. XVI. 96. ibique Kiessling.

10. *Quod Di dant fero.* Jam apud Hesiodum, ut Lambinus monuit, paupertas donum deorum vocatur. Oper. ac Dier. 662.

μηδέ ποτ' οὐλομένην πενίην θυμο-
(φθόρον ἀνδρὶ
τετλαθ' ὀνειδίζειν, μακάρων δόσιν
(αἰὲν ἐόντων.

13. *Quid si quispiam* etc.: vulgo legitur *quod quispiam* reliq. versusque Euclioni adscribitur: recte Goellerus mihi mutasse videtur.

15. *tu extinguere.* Errare Lambinus mihi videtur, haec active explicans, quasi legisset *tu extingue*: haec enim Plautus vult: *vitam tibi adimam, morieris, si adhuc, cum a foro rediero, ignis vivet*, haec enim vis inest in futuro *vivet*. Jam v. 13. dixerat *extingui volo:* nunc minitans addit, *nam si ignis* reliq. *Extingui* pro *mori* frequens est. Cicero Brut. 1. Horat. Ep. II. 1. 14. Virgil. Eclog. V, 20. Ovid. Metam. III. 470.

Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.
Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quae utenda vasa semper vicini rogant,
Fures venisse atque abstulisse dicito.
Profecto in aedes meas, me absente, neminem
Volo intromitti; atque etiam hoc praedico tibi,
Si Bona Fortuna veniat, ne intromiseris.
Staph. Pol ea ipsa, credo, ne intromittatur, cavet:
Nam ad aedis nostras nusquam adiit, quanquam prope est.
Euc. Tace, atque abi intro. *Staph.* taceo atque abeo. *Euc.* occlude sis
Fores ambobus pessulis: jam ego hic ero.
Discrucior animi, quia ab domo abeundum est mihi.
Nimis hercle invitus abeo: sed quid agam, scio.
Nam noster nostrae qui est magister Curiae,
Dividere argenti dixit nummos in viros:
Id si relinquo, ac non peto, omnes illico
Me suspicentur, credo, habere aurum domi;
Nam non est verisimile, hominem pauperem
Pauxillum parvi facere quin nummum petat.
Nam nunc quum celo sedulo, omnes ne sciant,
Omnes videntur scire, et me benignius
Omnes salutant, quam salutabant prius.
Adeunt, consistunt, copulantur dexteras:
Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum geram.
Nunc, quo profectus sum, ibo: postidea domum
Me rursum, quantum potero, tantum recipiam.

29. *Magister Curiae:* Raevardus notat Romae singulas tribus suos habuisse divisores, ut patet ex Ascon. ad Act. II in Verrem. Hi pecuniam populo viritim dividebant, singuli in sua tribu: alio nomine *Magistri Curiarum* appellantur: apud Ciceronem *Curiones.* Non semel in comoediis palliatis multa Romana miscet Plautus.

36. *omnes videntur scire — — — quid rerum geram.* Conf. Aristoph. Plut. 782.

ὡς χαλεπόν εἰσιν οἱ φίλοι
οἱ φαινόμενοι παραχρῆμ, ὅταν πράτ-
(τῃ τις εὖ,

ubi Clar. Hemsterh. pro οἱ φαινόμενοι legit ὀσφραινόμενοι; de qua re vide eum ad Luciani Timonem p. 159.

40. *profectus sum.* Ruhnken ad Terent. And. III. 4. 21. notavit, non

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

EUNOMIA. MEGADORUS.

Velim te arbitrari med haec verba, frater,
Mei fidei tuaeque rei hoc
Causa facere, ut aequomst germanam sororem:
Quamquam haud falsa sum, nos odiosas haberi:
Nam multum loquaces merito omnes habemur,
Nec mutam profecto repertam ullam esse hodie
Dicunt ullo in saeclo.
Verum hoc, frater, unum tamen cogitato,
Tibi proximam me, mihique esse item te,
Ut aequomst, quod in rem esse utrique arbitremur,
Et mihi te, et tibi me consulere et monere,
Neque occultum id haberi tibi, neque per metum mussari,
Quin participem pariter ego te, et tu me ut facias.
Eo nunc secreto foras te huc seduxi,
Ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.
Meg. Hem da mihi, optuma femina, manum. *Eun.* ubi ea est?
(quis ea est nam optuma?

semper verbo *proficisci* veteres de longinquo itinere usos esse, sed etiam usurpasse pro *prodire*, *ire aliquo*, etiamsi non sit iter valde longum. Terent. Eun. II. 2. 49.

Tu profecturus alio fueras.

1. Ab initio hujus scenae usque ad verbum 40. in versibus disponendis Hermannum secutus sum: vid. ejus Elem. doct. metr. p. 307 et 454.

5. *multum loquaces merito omnes habemur.* Conf. Aristoph. Eccles. 120.

τίς δ', ὦ μέλ', ἡμῶν οὐ λαλεῖν ἐπίσταται;

14. *secreto* i. e. seorsim.

15. *ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.* Verbum loqui, tali constructione significat, *narrare*, *nominare*, *cum laude memorare*, *canere*, hac eadem fabula IV. 9. 60.

magna res quam tecum cupio loqui.

i. e. tibi narrare volo. Cicero pro Milone c. 23. *Multi etiam Catilinam, atque illa portenta loquebantur.* Quinctil. Declam. VI. 21.

Te quidem, juvenis, omnia saecula loquentur.

Horat. Carm. IV. 15. 1.

Phoebus volentem proelia me loqui: Insolenter in hac constructione vis deliberandi remansit.

Meg. Tu. *Eun.* tu me ais? *Meg.* Si negas, nego. *Eun.* decet
(equidem vera proloqui.
Nam nulla potis est eligi: alia alia pejor, frater, est.
Meg. Idem ego arbitror, nec me tibi adversarier
Certum est de istac re umquam, soror.
Quid vis? *Eun.* da mihi operam,
Amabo. *Meg.* tuast: utere, atque impera sis.
Eun. Id quod in rem tuam optumum esse arbitror,
Ted id admonitum advento. *Meg.* soror, tuo facis
More. *Eun.* factum volo.
Meg. Quid est id, soror? *Eun.* quod tibi sempiternum
Salutare sit liberis procreandis:
Ita di faxint:
Volo te uxorem domum ducere. *Meg.* hei, occidi.
Eun. Quid ita?
Meg. Quia mihi misero cerebrum excutiunt
Tua dicta, soror: lapides loqueris.
Eun. Heia, hoc face, quod te jubet soror. *Meg.* si lubeat, faciam.
Eun. In rem hoc tuam est. *Meg.* ut quidem emoriar, priusquam ducam.
His legibus sed si, soror, quam vis dare, ducam,
Quae cras veniat, perendie foras feratur:

18. *alia alia pejor est.* Conf. Terent. Hecyra II. 1. 3.

Neque declinatam quicquam ab alia-
(rum ingenio ullam reperias.

Menand. Sent. Sing. v. 109. edit. Meinek.

Γυνὴ γυναικὸς πώποτ' οὐδὲν διαφέρει.

22. *impera sis. Imperare*, et *imperium*, proprie dominorum est in servos: nonnunquam tamen usurpatur ab iis, qui promptos se atque paratos indicant ad officium praestandum. Noster Cistell. IV. 2. 56.

25. *factum volo:* est formula ejus qui studium suum offert. vid. Broukh. ad Prop. II. 8. 13. Oudendorp. ad Apulej. Apolog. p. 532. Gronov. ad Gellium VII. 3.

32. *Lapides loqueris:* signif. durus et asper tuus sermo est: his opponitur quod Aristoph. in Nubib. 917. dixit *ῥόδα μ' ἐιρηκας.*

36. *foras feratur.* Cum his Lambinus confert Hipponactis frag. 12.

Δύ' ἡμέραι γυναικὸς εἰσὶν ἡδισται:
Ὅταν γαμῇ τις κἀκφέρῃ τεθνηκυῖαν.

Menand. Sent. Sing. v. 95.

Γυναῖκα θάπτειν κρεῖσσόν ἐστιν ἢ
(γαμεῖν.

qui tamen versus a Stobaeo Serm 68. p. 283 Chaeremoni tribuitur.

Iis legibus quam vis, cedo, nuptias adorna.
Eun. Quam maxuma possum tibi, frater, dare dote:
Sed est grandior natu, media est mulieris aetas.
Eam si jubes, frater, tibi me poscere, poscam.
Meg. Numnam vis me interrogare te? *Eun.* imo, si quid vis, roga.
Meg. Post mediam aetatem qui mediam ducit uxorem domum,
Si eam senex anum praegnantem fortuitu fecerit,
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?
Nunc ego istum, soror, laborem demam et diminuam tibi.
Ego virtute deum et majorum nostrorum dives sum satis.
Istas magnas factiones, animos, dotes dapsiles,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram,
Nihil moror, quae in servitutem sumtibus redigunt viros.
Eun. Dic mihi, quaeso, quis ea est, quam vis ducere uxorem?
(*Meg.* eloquar.
Novistin' hunc senem Euclionem ex proximo, pauperculum?
Eun. Novi hominem, haud malum mecastor. *Meg.* ejus cupio filiam
Virginem mihi desponderi: verba ne facias, soror.
Scio quid dictura es: hanc esse pauperem: haec pauper placet.
Eun. Di bene vortant! *Meg.* idem ego spero. *Eun.* quid?
(me numquid vis? *Meg.* vale.
Eun. Et tu, frater. *Meg.* ego conveniam Euclionem, si domi
Est, sed eccum: nescio unde sese homo recipit domum.

43. *fortuitu.* Magna in hoc loco vis comica inest in verbo *fortuitu*, quo addito, amorem senis anusque ut maxime ridiculosum Plautus carpit.

46. *virtute Deum.* Virtus hoc loco est ἐνέργεια: vis bene faciendi: idem versus invenitur in Capt. II. 2. 74. ubi vid. Doct. Bosscha.

55. *numquid vis.* Sexcenties haec phrasis apud Plautum et Terentium occurrit. Sermo est discedentis: Donat. ad Terent. Enn. II. 3. 49. *Abituri, ne id dure facerent*, numquid vis *dicebant his, quibuscum constitissent*: vid. Horat. I. sat. 9. 6.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

EUCLIO. MEGADORUS.

Praesagibat mihi animus, frustra me ire, quum exibam domo,
Itaque abibam invitus: nam neque quisquam Curialium
Venit, nec magister, quem dividere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero; nam egomet sum hic; animus domi
Meg. Salvus atque fortunatus, Euclio, semper sies. (est.
Euc. Di te ament, Megadore. *Meg.* quid tu? recten' atque ut vis vales?
Euc. Non temerarium est, ubi dives blande appellat pauperem.
Jam illic homo aurum me scit habere, eo me salutat blandius.
Meg. Ain' tu te valere? *Euc.* pol ego, haud a pecunia, per bene.
Meg. Pol, si est animus aequus tibi, satis habes, qui bene vitam colas.
Euc. Anus hercle huic indicium fecit de auro: perspicue palam est,
Cui ego jam linguam praecidam, atque oculos effodiam domi.
Meg. Quid tu solus tecum loquere? *Euc.* meam pauperiem conqueror.
Virginem habeo grandem, dote cassam, atque illocabilem,
Neque eam queo locare cuiquam. *Meg.* tace; bonum habe animum,
Dabitur: adjuvabere a me: dic si quid opus est, impera. (Euclio:
Euc. Nunc petit, quom pollicetur: inhiat aurum, ut devoret.
Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.

4. *properare propero.* Amant veteres jungere verba ejusdem, aut cognatae significationis. Cicero de Oratore I, init. *moles molestiarum.* Lucret. I. 826. *sonitu-sonanti.* Plato Apolog. Socrat. c. 23. ἀγῶνος ἀγῶνα ἀγωνιζόμενος. In primis hoc Plauto placuit: Cap. II. 3. 31 seq. tribus continuis versibus id fecit, et alibi sparsim. Vid. Ruhnk. ad Vell. Paterc. II. 124.

7. *non temerarium est.* i. e. non est sine magna gravique causa. Vid. Heins. ad Virg. Aen. IX. 375.

8. *illic.* antique pro *ille.* vid. Bentl. ad Terent. And. II. 6. 27.

9. *haud a pecunia:* praepositio *a*, usu eleganti ponitur pro *quod attinet ad.* Cicero in Bruto cap. 66. *mediocriter a doctrina instructus.* Vid. Cort. ad Sallust. Jugurth. cap. 48. Crebo hac Plautus utitur constructione. Capt. II. 3. 11. Epid. I. 2. 26. Curcul. I. 1. 51. True. IV. 3. 59. alibi.

18. *altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.* Proverbium in perfidos. Graeci eodem fere modo

Nemini credo, qui large blandu'st dives pauperi.
Ubi manum injicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam.
Ego istos novi polypos, qui ubi quid tetegerint, tenent.
Meg. Da mihi operam parumper; paucis, Euclio, est quod te volo
De communi re appellare mea et tua. *Euc.* hei misero mihi!
Aurum mihi intus harpagatum est: nunc hic eam rem volt, scio,
Mecum adire ad pactionem; verum intervisam domum.
Meg. Quonam abis? *Euc.* jam ad te revortar; namque est quod (visam domum.
Meg. Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia,
Mihi ut despondeat, sese a me derideri rebitur.
Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior.

τῇ μὲν ὕδωρ ἐφόρει, τῇ δ' ἑτέρᾳ δὲ τὸ πῦρ. Huic confine est, ἐκ τοῦ στόματος τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν ἐξάγειν. Vid. Erasmi Adag. p. 350.

20. *manum injicit:* sic et Graeci dicunt, ἐμβάλλειν τὴν δεξιάν. Aristoph. Ran. 766.

Ἰὼ Φοῖβ' Ἀπόλλον, ἔμβαλέ μοι τὴν (δεξιάν.

Sophoc. Trachin. v. 1181.

ἔμβαλλε χεῖρα δεξιὰν πρώτιστά μοι. Demost. in Midiam p. 553. ed. Reisk. Orat. Graec. τὴν δεξιὰν ἐμβαλών.

20. *onerat zamiam:* idem est, quod injungere detrimentum (ζαμίαν), ut Cicero ad famill. XI. 13. dicit. *Onerari* non tantum dicitur res, quae accipit onus, sed etiam onus ipsum. Graeci vocant ἐμβάλλεσθαι: hic igitur onerare zamiam est, *inferre*, *imponere damiam* sive jacturam. Haec Gronov. Lect. Plaut. p. 50. quem vide. Aristoph. Plut. 1125. dixit ἐποίεις ζημίαν.

24. *nunc eam rem volt* etc. Subauditur praepositio *ob*, quam ellipsin a Graecis sumserunt Latini: nihil enim frequentius apud Graecos, quam subintellecta praepos. κατὰ: sic etiam Livius VIII. 35. *stupentes tribunos*, *et suam vicem magis anxios;* Livius XXVIII. 19. extrem. *clamor undique ab sollicitis vicem imperatoris militibus sublatus.* Vid. Donat. ad Terent. And. I. 1. 130. et ad Eun. V. 6. 4.

29. *ex paupertate.* Plerique interpretes haec ita explicant, ut significent, *ex ordine* vel *ex numero pauperum:* non placet: potius, cum Camerario crederem significare, *propter paupertatem:* talis enim et Latinis et Graecis praepositionis *ex* vel ἐκ usus, causam indicantis, sat frequens. Cicero ad Divers: II. 10. *ex quo vereor:* i. e. *qua propter.* Idem Invent. II. 4. *ex lassitudine dormire.* Livius XXII. 7. *multi ex vulneribus periere.* vid Drakenb. ad Liv. IV. 47. Ex Graecis, Xenoph. Cyrop. V. 4. 10. ἐκορεύετο, ὡς ἐπισκέψοιτο τὸν Γαδάταν, πῶς ἔχοι ἐκ τοῦ τραύματος. Idem Symp. IV. 10. οὐκοῦν αὖ ἐγὼ λέξω, ἔφη,

Euc. Di me servant; salva est res. Salvum est, si quid non perit.
Nimis male timui; priusquam intro redii, exanimatus fui.
Redeo ad te, Megadore, si quid me vis. *Meg.* habeo gratiam.
Quaeso quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.
Euc. Dum quidem ne perconteris, quodnon lubeat proloqui.
Meg. Dic mihi, quali me arbitrare genere prognatum? *Euc.* bono.
Meg. Quid fide? *Euc.* bona. *Meg.* quid factis? *Euc.* neque
(malis neque improbis.
Meg. Aetatem meam scis? *Euc.* scio esse grandem, itidem ut pecuniam.
Meg. Certe edepol equidem te civem sine mala omni malitia
Semper sum arbitratus, et nunc arbitror. *Euc.* Aurum huic olet.
Quid nunc me vis? *Meg.* quoniam tu me, et ego te, qualis sis, scio,
Quae res recte vortat, mihique, tibique, tuaeque filiae,
Filiam tuam mihi uxorem posco: promitte hoc fore.
Euc. Heia, Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Ut inopem atque innoxium abs te atque abs tuis, me irrideas.
Nam de te neque re, neque verbis merui, ut faceres, quod facis.
Meg. Neque edepol ego te derisum venio, neque derideo,
Neque dignum arbitror. *Euc.* cur igitur poscis meam gnatam tibi?
Meg. Ut propter me tibi sit melius, mihique propter te et tuos.
Euc. Venit hoc mihi, Medagore, in mentem, te hominem divitem,
Factiosum; me item esse hominem pauperum pauperrimum.

ἐξ ὧν ἐπὶ τῷ κάλλει μέγα φρονῶ. Thucyd. II. 53. ἐκ τοῦ πάντας ὁρᾶν ἐν ἴσῳ ἀπολλυμένους. Demost. Olynth. I. p. 11. ἐπειδὴ δ' ἐκ τῶν πρὸς αὐτοὺς ἐγκλημάτων μισοῦσι. Idem in Midiam p. 584. ἐξ ὕβρεως, καὶ ἐκ τοῦ μηδὲν, ὧν πεποίηκεν, ἀναλῦσαι δύνασθαι, κρίνεται.

38. *Sine omni malitia.* Ruhnk. ad Terent. And. II. 3. 17. ad verba *sine omni periculo* dixit: Sic Plautus et Terentius loquuntur. Cicero alii, *sine ullo periculo.* Non cogitavit vir Cl. Ciceronem de Orat. II. 1. *sine omni sapientia;* et Ovid. Trist. IV. 8. 33. *omni sine labe*, dixisse.

44. *irrideas.* Boxhornius confert locum ex Juvenal. III. 152.

Nil habet infelix paupertas durius (*in se*,
Quam quod ridiculos homines facit.

comparandus insuper Stobaeus, tit. Πενίας ψόγος.

Οὐκ ἔστι πενίας οὐδὲν ἀθλιώτερον
Ἐν τῷ βίῳ σύμπτωμα. καὶ γὰρ ἄν (φύσει
Σπουδαῖος ᾖς, πένης δὲ, κατάγε- (λως ἴσῃ.

Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,
Te bovem esse, et me esse asellum; ubi tecum conjunctus siem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus in luto:
Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem;
Et te utar iniquiore, et meus me ordo irrideat.
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divortii fuat:
Nec noctu, nec diu quietus unquam eam, neu dormiam.
Asini me mordicitus scindant, boves incursent cornibus;
Hoc magnum est periculum, ab asinis me ad boves transcendere.
Meg. Quam ad probos propinquitate proxime te adjunxeris,
Tam optumum est; tu conditionem hanc accipe: ausculta mihi,
Atque eam desponde mihi. *Euc.* at nihil est dotis quod dem.
Dummodo morata recte veniat, dotata est satis. (*Meg.* ne duis.
Euc. Eo dico, ne me thesauros repperisse censeas.
Meg. Novi, ne doceas: desponde. *Euc.* fiat: sed, pro Juppiter
Non ego disperii? *Meg.* quid tibi est? *Euc.* quid crepuit quasi (ferrum modo?
Meg. Hic apud me hortum confodere jussi; sed ubi hic est homo?
Abiit, neque me certiorem fecit: fastidit mei;
Quia videt me suam amicitiam velle, more hominum facit;

53. *ubi.* i. e. *si:* hicce usus particulae *ubi* non insolens veteribus. vid. Vorst. ad Justin. X. 1.

57. *Nec noctu, nec diu* etc. hic versus inter Aululariae fragmenta refertur. Gulielmius impingere voluit post versum 27. Act. I. Scen. 1. improbante Goellero, qui hoc loco inserit: cui quum magis videatur convenire, ab partibus ejus stare non dubitavi.

59. *ab asinis ad boves transcendere:* similiter Graeci dicunt: ἀπ' ὄνων ἐφ' ἵππους, in eos qui ab obscuris ad praeclara perveniunt.

63. *Dummodo morata recte veniat.* Lambinus comparat cum hoc loco Nostrum Amphit. II. 2. 209.

Non ego illam mihi dotem duco esse,
(quae dos dicitur;
Sed pudicitiam et pudorem.
Menand. Sent. Sing. v. 92.
Γυναικὶ κόσμος ὁ τρόπος οὐ τὰ χρυσία. plura, quibus addo Menand. Sent. Sing. v. 99.
Γυνὴ δὲ χρηστὴ πηδάλιόν ἐστ' οἰκίας.

66. *quid crepuit quasi ferrum modo?* Eodem fere modo nobilissimus Gallorum comicus, Molierius, suspiciosum avari animum depinxit, in imitatione hujus fabulae pulcherrima, titulo *L'Avare.* Act. I. Sc. VII. *Ouais! il me semble que j'entends un chien qui aboie. N'est-ce point qu'on en voudroit à mon argent?*

Nam si opulentus it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congrediri; per metum male rem gerit.
Idem quando illaec occasio periit, post sero cupit.
Euc. Si hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus,
Impero auctorque sum, ut tu me cuivis castrandum loces.
Meg. Video hercle ego te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum
Quem senecta aetate ludos facias, haud merito meo.
Euc. Neque edepol, Megadore, facio; neque si cupiam, copia est.
Meg. Quid nunc? etiam mihi despondes filiam? *Euc.* illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. *Meg.* sponden' ergo? *Euc.* spondeo.
Meg. Di bene vortant. *Euc.* ita di faxint; illud facito, ut memineris
Convenisse, ut ne quid dotis mea ad te afferret filia.
Meg. Memini. *Euc.* at scio, quo vos soleatis pacto perplexarier.
Pactum non pactum est, non pactum pactum est, quod vobis lubet.
Meg. Nulla controversia mihi tecum erit; sed nuptias
Hodie quin faciamus num quae causa est? *Euc.* imo edepol optuma.
Meg. Ibo igitur, parabo; numquid me vis? *Euc.* istuc fiet; vale.
Meg. Heus Strobile, sequere propere me ad macellum strenue.
Euc. Illic hinc abiit; di immortales, obsecro, aurum quid valet!

76. *Ludos facias.* Ludum, vel ludos facere aliquem vel alicui, est illudere. vid. Doct. Verwayen ad Plauti Amph. II. 1. 21.

78. *etiam.* Hoc loco est particula hortantis sic et Virg. Aen. XI. 373.

Etiam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum (*adspice contra.*

vid. ibi Servius: et Bentl. ad Terent. And. V. 2. 8.

82. *perplexarier.* Nonnulli explicant vocem per *conturbare;* ejus vim non perspexisse videntur. Significat enim, *implicite, intricate loqui, ancipitibus uti verbis,* ita ut bifariam accipi possint. Liv. XXXIII. 34. *nihil jam perplexe, ut ante, sed aperte pronunciatum.* Id. XL. 5. *Singulos tentare sermonibus perplexis instituit.* vid. Burmann. ad Petron. Sat. cap. 134. Graeci hac in re usurpant περιπλοκὰς λέγειν, v. Valck. ad Eurip. Phoenis. 497.

86. *parabo.* Parare est *emere, comparare,* Caesar Bello Gall. IV. 2. *quaeque impenso parat pretio.* Sall. Jug. 31. *servi aere parati.* Saepe *parare* et composita sine casu ponuntur. Nepos Thras. 2. *tempore ad comparandum dato.* Ovid. Trist. I. 3. 7.

Nec mens nec spatium fuerant satis (*apta paranti.*

Vid. Liv. XXXVIII. 12. ibique Gronov.

87. *aurum quid valet.* Sententia, qua, ut alios mittam, crebo utuntur comici. Aristoph. in Pluto 146.

Credo ego illum jam inaudisse, mihi esse thesaurum domi;
Id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia.

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

EUCLIO. STAPHYLA.

Ubi tu es, quae deblaterasti jam vicinis omnibus,
Meae me filiae daturum dotem? heus, Staphyla, te voco:
Ecquid audis? vascula intus pure propera atque elue.
Filiam despondi ego; hodie nuptum huic Megadoro dabo.
Staph. Di bene vortant; verum ecastor non potest: subitum est nimis.
Euc. Tace atque abi: curata fac sint quom a foro redeam domum.
Atque occlude aedes: jam ego hic adero. *Staph.* quid ego nunc agam?
Nunc nobis prope adest exitium, mihi atque herili filiae.

Ἅπαντα τῷ πλουτεῖν γὰρ ἔσθ' ὑπήκοα. (κοα.
Menand. in Ὑποβολιμαίῳ p. 170 ed. Meinek.

τοῦτο μόνον ἐπισκοτεῖ
Καὶ δυσγενείᾳ, καὶ τρόπου πονηρίᾳ,
Καὶ πᾶσιν οἷς ἔσχηκεν ἄνθρωπος κα-
Τὸ πολλὰ κεκτῆσθαι· (κοῖς
Menand. inc. fab. frag. 10. p. 196.

Ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς θεοὺς εἶναι (λέγει
Ἀνέμους, ὕδωρ, γῆν, ἥλιον, πῦρ, (ἀστέρας.
Ἐγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι (θεοὺς
Τ' ἀργύριον ἡμῶν καὶ τὸ χρυσίον.
Philemon in *Πτερυγίῳ* p. 376. ed. Mein.
Ἀργύριόν ἐστι· τοῦτ' ἐὰν ἔχῃς, λέγε
Πρὸς τοῦθ' ὃ βούλει, πάντα σοι γε- (νήσεται,
Φίλοι, βοηθοί, μάρτυρες, συνοικίαι.

3. *Vascula pure propera atque elue.* Assentior Goellero docenti, hyperbaton hoc loco extare, ut dictum sit pro *propera eluere*, quae ratio excusatur festinatione loquentis. Vid. Noster Epid. in fine.

Lumbos surgite atque extollite. Sic etiam Theocrit. Epig. XIX. 1.

Ἀρχίλοχον καὶ στάθι καὶ εἶσιδε τὸν (πάλαι ποιητάν.
Conf. porro Goell. ad Thucyd. III. 68.

6. *curare.* Proprium verbum est mensae, culinaeque. Noster Persa I. 3. 5.

Curate istic vos, atque approperate Merc. III. 3. 21. (ocius.

Quin ergo imus, atque obsonium curamus. Horat. Epist. I. 4. 15.

Me pinguem et nitidum, bene curata (cute vises.
conf. Tibul. I. 5. 33.

Nam probrum atque partitudo prope adest ut fiat palam.
Quod celatum est atque occultatum usque adhuc, nunc non potest.
Ibo intro, ut herus quae imperavit, facta, cum veniat, sient.
Nam, ecastor, malum moerorem metuo ne mistum bibam.

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUARTA.

STROBILUS. ANTHRAX. CONGRIO.

Postquam obsonavit herus, et conduxit coquos,
Tibicinasque hasce apud forum, edixit mihi,
Ut dispartirem obsonium hic bifariam.
Ant. Me tu quidem hercle hic tam palam non divides:
Si quo tu totum me ire vis, operam dabo.
Cong. Bellum et pudicum vero prostibulum popli!
Post si quis vellet te, haud non velles dividi?
Strob. Atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram,
Non istuc, quod tu insimulas; sed herus nuptias
Meus hodie faciet. *Cong.* cujus ducet filiam?
Strob. Vicini hujus Euclionis e proximo.

9. *partitudo prope adest*: malo cum Douza fil. legere *prope abest*; quod magis Plautinum videtur. Per *probrum* veteres in universum omnia turpia famosaque designabant; peculiariter de stupro et adulterio usurpabant. Noster Amph. III. 1. 9.

quam vir insontem probri
Amphitruo accusat. Festus in voce *probrum Virginis Vestalis ut capite puniretur.* Vid. Suet. Domit. cap. 8. ibique Torrentius.

12. *malum moerorem metuo.* Ex innumeris conjecturis libenter Gronovianam amplector, qui sic legit:

malum moerore metuo ne mistum (bibam.

et sic explicat; malum, cui additus sit moeror, ut vinum bibitur mistum aqua.

9. *Sed*, transitioni inservit. Plauto imprimis usitatum est, quum aliud quid sententiae subjungere vult, voce *sed* novam incipere orationem. Amph. II. 1. 73.

Sed quid ais? num obdormivisti du- Terent. And. V. 3. 15. *(dum?*
Sed quid ego me autem excrucio? Livius XXXVIII. 48.
Sed quid ego haec ita argumentor. Vid. Oudend. ad Apul. Met. II. p. 106.

Ei adeo obsonii hinc dimidium jussit dari,
Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.
Cong. Nempe huic dimidium ducis, dimidium domum?
Strob. Nempe sicut dicis. *Cong.* quid? hic non poterat de suo
Senex obsonari filiae in nuptiis?
Strob. Vah! *Cong.* quid negotii est? *Strob.* quid negotii sit, rogas?
Pumex non aeque est aridus, atque hic est senex.
Cong. Ain' tandem? ita est ut dicis? *Strob.* tute existuma;
Quin divum atque hominum clamat continuo fidem,
Suam rem periisse, seque eradicarier,
De suo tigillo fumus si qua exit foras.
Quin cum it dormitum, follem obstringit ob gulam.

19. *ain' tandem?* In interrogationibus vox *tandem* maximam habet vim urgendi; vel etiam indignantis est particula. Terent. And. III. 2. 12.

aut itane tandem idoneus
Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis:

Ibid. V. 3. 4.

Ain' tandem, civis Glycerium est?

Idem Phorm. II. 1. 1.

Itane tandem uxorem duxit Antipho (injussu meo?

Cicero Catil. I. 1. *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra.* Vid. Drakenb. ad Liv. III. 9. 9.

20. *Quin divum* etc. usque ad v. 40. His versibus continetur avarissimi senis descriptio, cum qua conferendus Lucianus in Timone cap. 14. *Ἄτοπα γοῦν ποιεῖν ἔφασκες αὐτοὺς, ἐρῶντας μὲν εἰς ὑπερβολὴν, ἐξὸν δε ἀπολαύειν, οὐ τολμῶντας, οὐδὲ ἐπ' ἀδείας χρωμένους τῷ ἔρωτι, κυρίους γε ὄντας, ἀλλὰ φυλάττειν ἐγρηγορότας, ἐς τὸ σημεῖον καὶ τὸν μοχλὸν ἀσκαρδαμυκτὶ βλέποντας, ἱκανὴν ἀπόλαυσιν οἰομένους, οὐ τὸ αὐτοὺς ἀπολαύειν ἔχειν, ἀλλὰ τὸ μηδενὶ μεταδιδόναι τῆς ἀπολαύσεως.*

23. *follem obstringit ob gulam.* Merito Lambinus, qui hujus loci sensum non cepit, a Douza reprehenditur. Lamb. sic explicat: follis, quo ignis accendi solet, gulam i. e. fistulam, per quam ventus efflatur, vinculo obturat Euclio, ne animam seu ventum amittat follis, dum it dormitum ipse Euclio. Quod et mihi a poetae mente plane aberrare videtur. Douza exposuit quasi esset follis, sacculi genus, nummorum receptaculum scorteum, quod Euclio, ob irrequietem avaritiam ipse ob suam obstringeret gulam: vid. Douza: Cent. Plaut. pag. 67 seq. Neque hoc mihi placet. Gronovianam hujus loci explicationem aeque minus accipiendam censeo; quam hic describam: Nihil hic miri, nisi quod hoc faciebat cubitum iturus. Nam et quum in publicum irent, cum pecunia crumenam de collo suspendebant. Id ille faciebat etiam in lecto, furem nocturnum timens. Quum rogasset cocus, cur? illudens stupori ejus *παρὰ προσδοκίαν* falsam causam invenit: tanquam id faceret, ne inter spirandum aliquid animae amitteret. Et solvun-

Cong. Cur? *Strob.* ne quid animae forte amittat dormiens.
Cong. Etiamne obturat inferiorem gutturem?
[Ne quid animae forte amittat dormiens?]
Strob. Haec mihi te, ut tibi me aequum est credere.
Cong. Imo quidem credo. *Strob.* at scin' etiam quo modo?
Aquam hercle plorat, quom lavat, profundere.
Cong. Censen' talentum magnum exorari potesse
Ab istoc sene, ut det qui fiamus liberi?
Strob. Famem hercle, utendam si roges, nunquam dabit.
Quin ipsi pridem tonsor ungues demserat,
Collegit, omnia abstulit praesegmina.
Cong. Edepol, mortalem parce parcum praedicas.
Censen' vero adeo esse parcum et misere vivere?

tur auditores, nihil tale exspectantes, in risum, magis etiam quum continuat coquus jocum. — Nimis torta haecce mihi videntur. Plautum haec voluisse credo. Ita parcus, imo avarus est Euclio, ut, cum it dormitum, follem (quo ignis accenditur) suam obstringit ob gulam, ne inutiliter frustraque dormiens spiret ipse; sed aëre follis impleatur: insignis certe hyperbola, quali tamen saepe utitur Plautus, et quae sine dubio spectatorum risus movebat: ut haec ita acciperem fecerunt ea, quae respondet Strobilus ad quaestionem cur id faceret Euclio? *ne quid animae forte amittat dormiens*: amittere est perdere, damnum facere: et ea quae sequuntur, *Etiamne obturat inferiorem gutturem?* Versum 26. cum Bothio spurium duco, ut natum ex versu 24. Strobilus versu 27 concedit se ὑπερβολικῶς locutum, neque sibi credendum esse. Sic omnia, ut mihi saltem videtur, optime quadrant.

28. *at scin'*: *at* indignantis est et irati. Terent. Eun. III. 1. 41.

At te Di perdant.

Virg. Aen. II. 535.

At tibi pro scelere, exclamat, pro (*talibus ausis.*

Ovid. Epist. XII. 1.

At tibi Colchorum; ubi vid. Heins. et clar. Peerlkamp ad Horat. Epod. carm. 15. p. 491. Similiter conjunctio ἀλλὰ nonnunquam apud Graecos comminandi vim habet. Tyrtaeus I. 15.

Ὦ νεοι, ἀλλὰ μάχεσθε παρ' ἀλλήλοισι μένοντες.

ubi vid. Klotz. p. 58. Herod. III. 36. ἀλλ' ὄυ τι χαίρων. ibique Valcken.

32. *famem hercle utendam si roges, nunquam dabit.* Conf. Molierius L'Avare, Act. II. Scen. V. *Il ne dit jamais, je vous donne, mais, je vous prête le bon jour.*

36. *Censen' vero adeo esse parcum et misere vivere?* Gulielmio non placebat frequens τοῦ *parcum*, repetitio: itaque hanc excogitavit lectionem.

Censen' vero adeo esse parum et mi- (*sere vivere?*

haecce addens. An tu etiam censes eum parum edere, et genium suum

Strob. Pulmentum pridem eidem eripuit milĭus;
Homo ad praetorem deplorabundus venit:
Infit ibi postulare, plorans, ejulans,
Ut sibi liceret milĭum vadarier.
Sexcenta sunt quae memorem, si sit otium.
Sed uter vostrorum est celerior? memora mihi.
Cong. Ego, ut multo melior. *Strob.* cocum ego, non furem, rogo.
Cong. Cocum ego dico. *Strob.* quid tu ais? *Ant.* sic sum, ut vides.
Cong. Cocus ille nundinalis est: in nonum diem
Solet ire coctum. *Ant.* Tun', trium literarum homo,
Me vituperas? fur, etiam fur, trifurcifer!
Strob. Tace nunc jam tu: atque agnum, horum uter est pinguior....
Ant. Licet. *Strob.* tu, Congrio, eum sume....
Atque abi intro illuc, et vos eum sequimini;
Vos ceteri illuc ad nos. *Ant.* hercle injuria

defraudare? Et mehercule convenit admodum, ut qui avidissimam parsimoniam senis audisset, in fumo, aqua, praesegminibus, idem sciscitetur quas coenas esitet, et qua in victu sit miseria, cujus rei insigne exemplum alter subjicit in pulmento.

38. *deplorabundus.* Plus significat quam flens, ejulans, lamentans: notat enim *deplorare* desperatione prorsus affectus gemere, omni spe sublata lamentari. Livius V. 40. *suam quisque spem, sua consilia, communibus deploratis, exsequentes.* Vid. Rupert. ad Liv. III. 38. 3. Plinius H. N. VII. 50. *Phalereus deploratus a medicis.*

40. *Vadarier.* Proprie est, vadem postulare ab aliquo, qui promittat reum (unde petebatur) tempore constituto in jus venturum (ad vadimonium venturum): si desereret vadimonium, i.e. si statuto tempore non adesset, in carcerem conjiciebatur. Noster Pers. II. 4. 18.

Vadatur hic me — utinam vades desint, in carcere ut sis!

Simpliciter accipitur pro *in jus vocare.* Vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 51. seq. Ceteroquin haec imitatus est Molierius, L'Avare Act. III. Scen. V. *Celui-là conte qu'une fois vous fîtes assigner le chat d'un de vos voisins, pour vous avoir mangé un reste de gigot de mouton.*

44. *Sic sum ut vides.* Gruterus cum hisce confert Theocrit Idyll. XXXII. 58. seq.

Ἄγριος εἰ, πρὸς πάντα παλίγκοτος, ἠδ' ὑπερόπτης.
Τοῖος δ' οἷον ὁρᾷς.

47. *etiam fur: etiam* nonnunquam vim habet increpandi, ut hoc loco, et Pers. II. 4. 4.

scelerate, etiam respicis!

Petron. Satyr. cap. 21. *etiam dormire vobis in mente est:* ubi vid. Burman. et Bentl. ad Terent. And. V. 2. 3.

Dispertivisti: pinguiorem agnum isti habent.
Strob. At nunc tibi dabitur pinguior tibicina;
I sane cum illo, Phrygia; tu autem, Eleusium,
Huc intro abi ad nos. *Cong.* o Strobile, subdole,
Huccine detrusisti me ad senem parcissimum?
Ubi si quid poscam, usque ad ravim poscam prius
Quam quicquam detur. *Strob.* stultum est et sine gratia
Ibi recte facere, quando quod facias perit.
Cong. Qui vero? *Strob.* rogitas? jam principio in aedibus
Turba istic nulla tibi erit: si quid uti voles,
Domo abs te afferto, ne operam perdas poscere.
Hic apud nos magna turba ac magna familia est,
Suppellex, aurum, vestes, vasa argentea:
Ibi si perierit quippiam, (quod te scio
Facile abstinere posse, si nihil obviam est,)
Dicant: coci abstulerunt; comprehendite,
Vincite, verberate, in puteum condite.
Horum tibi istic nihil eveniet: quippe qui
Ubi quid surripias, nihil est; sequere hac me. *Cong.* sequor.

54. *I sane.* Saepe haec particula imperativis adjungitur, valdeque eorum vim auget. Terent. Heaut. III. 3. 27. *Abi sane istac.* Livius I. 57. med.

58. *stultum est.... quod facias perit.* Hoc modo legendum puto, non, ut nonnullae editiones, *stultus et sine gratia es*: nempe hoc vult Strobilus: Stultus fui et demens, qui juvans te, hanc provinciam tibi dedi, licet scirem eam non tibi placituram; dedi tamen, timens, ne vinciri, verberari atque in puteum condi pericliteris: tuae salutis causa feci, et ingratus mihique molestus nunc es. *Ibi* veteres etiam usurpabant pro *tum*. Terent. And. II. 3. 5.

ibi culpam in te transferet.

Liv. II. 35. *ibi ira est suppressa* Vid. Drakenb. ad Liv. VII. 23. 4.

65. *Quod.* Significat *quamvis*. Prop. III. 1. 49.

Quod non Taenariis domus est mihi (fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna . . . . . (trabes.
At Musae comites. Ovid. Epist. XVII. 51.

Quod genus et proavos et regia nomi- ubi vid. interpretes. *(na jactas.*

70. *Ubi quid surripias.* Gronov. legit *surripiat*, sic explicans: ubi qui quid surripiat, hoc est, qui fur sit, qui solens aliquid summanare velit, ei nihil est prompti atque parati. Omnes Codd. unico excepto, vocem igno-

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUINTA.

STROBILUS. STAPHYLA. COCI.

Heus, Staphyla prodi, atque ostium aperi. *Staph.* qui vocat? *Strob.* Strobilus. *Staph.* quid vis? *Strob.* hos ut accipias coquos, Tibicinamque, obsoniumque in nuptias. Megadorus jussit Euclioni haec mittere.

Staph. Cererine, Strobile, has facturi nuptias. *Strob.* Qui? *Staph.* quia temeti nihil allatum intellego. *Strob.* At jam afferretur, si a foro ipsus redierit. *Staph.* Ligna hic apud nos nulla sunt. *Cong.* sunt asseres? *Staph.* Sunt pol. *Cong.* sunt igitur ligna; ne quaeras foris.

rant, attamen requiritur: sed cum Lambino legere malo *surripias*, quod magis praecedentibus convenit: paulo enim supra dixerat.

(*quod te scio*
Facile abstinere posse.) tum v. 69.
Horum tibi istic nihil eveniet.

1. *qui vocat?* Discrimen *qui* inter et *quis* non semper a scriptoribus observatur. Cicero ad Div. XII. 18. *quo iste, nescio qui erumperet.* Plaut. Curc. I. 2. 51.

qui me in terra aeque
Fortunatus erit.

Terent. Adelph. V. 6. 3.

O, qui vocare?

3. *in nuptias.* Finem vel causam nonnunquam praepositio *in* denotat: significat enim *in nuptias*, ad nuptias celebrandas. Plaut. Truc. IV. 2. 27.

Dedi equidem hodie ei quinque ar-
(*genti deferri minas,*
Praeterea unam in obsonatum.

Seneca de Beneficiis IV. 1. *inveniuntur qui honesta in mercedem colant.* Propert. III. 2. 35.

Haec hederas legit in thyrsos; similiter Graeci. Pollux VI. cap. 7. *Θουκυδίδης δὲ ἔφη: ἤτησεν εἰς ὀψώνιον τριώβολον.* Vid. Oudend. ad Lucan. II. 151.

7. *ipsus.* Antique pro *ipse:* i. e. Megadorus: servi enim dominum suum, *κατ' ἐξοχήν*, vocabant *ipsum.* Plaut. Cas. IV. 2. 11.

Ego eo quo me ipsa misit i. e. hera mea. Terent. Hecyr. III. 4. 14.

Sed Pamphilum ipsum video. Discipuli etiam magistrum sic nominare solebant. Sic Graecis *αὐτὸς* usurpatur. Aristoph. Nub. 218.

τίς γὰρ οὗτος ὁὐπὶ τῆς κρεμάθρας
(*ἀνήρ;*
Αὐτός. Τίς αὐτός; Σωκράτης. Vid. Casaub. ad Theoph. Charact. p. 24. edit. Duporti; et Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 335. Notum est Pythagoricum *αὐτὸς ἔφα.*

Staph. Quid impurate? quanquam Vulcano studes,
Coenaene causa, aut tuae mercedis gratia
Nos nostras aedes postulas comburere?
Cong. Haud postulo. *Strob.* duc istos intro. *Staph.* sequimini.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SEXTA.

PYTHODICUS.

Curate; ego intervisam quid faciant coqui,
Quos pol ut ego hodie servem, cura maxuma est;
Nisi unum hoc faciam, ut in puteo coenam coquant.
Inde coctam sursum subducemus corbulis.
Si autem deorsum comedent, si quid coxerint,
Superi incoenati sunt, et coenati inferi.
Sed verba hic facio, quasi negotii nihil siet,
Rapacidarum ubi tantum siet in aedibus.

10. *impurate.* Est injuria sive convicium Latinis usitatum, quod huic loco optime convenit, nempe coquo dictum: miror obscoeno sensu hoc a Douza sumi, quum *impurus* vel *impuratus* significet, *improbus.* Terent. Phorm. IV. 3. 64.

impuratus me ille ut etiam irrideat? Ibid. V. 8. 69.

Tum hunc impuratum poterimus (nostro modo ulcisci. Adel. II. 1. 29.

O hominem impurum. ubi vid. Donat.

2. *Servem* i. e. observem. Terent. Adel. II. 1. 18.

hem, serva: omitte mulierem.

3. *Nisi.* Saepe nisi significat *sed.* Noster Rud. IV. 2. 8.

neque piscium ullam unciam hodie Pondo cepi, nisi hoc quod foro hic Terent. Hecyr. I. 2. 117. *(in rete.*

quid egerint inter se nondum (etiam scio;

Nisi sane curae est, quorsum evenit (turum hoc siet. Cicero ad Divers. XIII. 73. *de re nihil possum judicare; nisi illud mihi certe persuadeo.* Livius XXIV. 20. *apparebatque non id modestia militum aut ducis, nisi ad conciliandos Tarentinorum animos fieri.* Ubi vid. Drakenb.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SEPTIMA.

EUCLIO. CONGRIO.

Volui animum tandem confirmare hodie meum,
Ut bene me haberem filiaï in nuptiis;
Venio ad macellum, rogito pisces: indicant
Caros; agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam; cara omnia:
Atque eo fuerunt cariora, aes non erat.
Abeo iratus illinc, quoniam nihil est qui emam.
Ita illis impuris omnibus adii manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias
Occepi: festo die si quid prodegeris,
Profesto egere liceat, nisi peperceris.
Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi,
Accessit animus ad meam sententiam,

3. *venio, rogito:* nonnunquam, et Graeci et Latini praesens tempus pro praeterito ponunt: quod vocatur praesens historicum, nam plerumque in narratione concitatiori usurpatur. Eurip. supplic. v. 641.

Καπανέως γὰρ ἦν λάτρις,
ὃν Ζεὺς κεραυνῷ πυρπόλῳ κατα- (*θαλεῖ.*

Pausan. Achaïc. p. 399. *τὸ μὲν γένος πᾶν τὸ ἄρσεν ἀπέκτειναν, πλὴν ὅσοι τῆς πόλεως ἀλισκομένης ἐκδιδράσκουσι.* Terent. Eun. IV. 7. 23.

cum tibi do istam virginem

ubi Donat. dixit *do, pro darem.* Virg. Aen. IX. 2. 66.

Cratera antiquum quem dat Sidonia (*Dido.*

Seneca Oedip. 848.

Huic aliquis a te traditur quondam (*puer?*

3. *indicant.* Indicare verbum proprium venditoris: locutionem explicat Gronov. Lect. Plaut. p. 52.

5. *cara omnia.* Conf. Theophr. Char. Eth. *Περὶ Μικρολογίας. καὶ ὅσα μικροῦ τις πριάμενος λογίζεται, πάντα φάσκειν εἶναι ἄγαν.*

8. *manum adire alicui*: est phrasis elegantissima: postquam spem alicui dederis, cum ad rem ventum est, frustrari, et eundem fallere. Cas. V. 2. 54.

Quid nunc? satine lepide adita vobis Persa V. 2. 18. (*est manus.*

Quomodo de Persa manus mihi ad- Poen. II. 1. 11. (*ita est.*

Eo pacto avarae Veneri pulcre adii (*manum.*

Unus Plautus hac utitur formula, sumta fortasse a re Athletica. Gronov. Lect. Plaut. p. 53.

Quam minimo sumtu filiam ut nuptum darem.
Nunc tusculum emi et has coronas floreas:
Haec imponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatae nuptias.
Sed quid ego apertas aedes nostras conspicor?
Et strepitus est intus; numnam ego compilor miser?
Cong. Aulam majorem, si potes, vicinia
Pete: haec est parva, capere non quit. *Euc.* hei mihi,
Perii hercle! aurum rapitur, aula quaeritur;
Nimirum occidor, nisi ego intro huc propere propero currere.
Apollo, quaeso, subveni mihi, atque adjuva,
Confige sagittis fures thesaurarios;
Cui in re tali jam subvenisti antidhac.
Sed cesso, priusquam prorsus perii, currere?

ACTUS SECUNDUS. SCENA OCTAVA.

ANTHRAX.

Dromo, desquama pisces; tu Machaerio
Congrum, murenam exdorsua, quantum potes:
(Atque omnia, dum absum hinc, exossata fac sient.)
Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto

18. *Sed quid ego:* transitionis est formula. Livius XXXVIII. 48. *Sed quid ego haec ita argumentor.* Vid. quae dixi ad II. 4. 9. Similiter Graeci dixerunt *τί δέ*. Aelian. Var. Hist. XII. 31. *τί δὲ, οὐκ ἐκεῖνα τοῖς Ἕλλησι τρυφῆς ἀπόδειξις;*

1. *Machaerio.* Recte Goellerus dicit Gulielmium errasse, statuentem voce machaerio, significari cultelli coquinarii genus; sic pergit: Illud *tu* probat nomen esse Machaerionis: neque opus habebat Anthrax addere, exdorsuandos pisces cultos esse. Scilicet id Plauti lectores fugit, opifices ab opificio aut opificii apparatu ducere nomina in his fabulis.

3. *Atque — sient.* Spurius hicce mihi videtur versus, natusque ex glossa ad *exdorsua*, quae his continetur verbis *exossata fac sient.* Camerarius ea in MS. legit et de suo supplevit, cum non legatur hic versus in edd. Camerario prioribus. Vid. Gruterus ad hunc locum.

A Congrione; tu istum gallum, si sapis,
Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludiu'st.
Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
Coqui hercle, credo, faciunt officium suum.
Fugiam intro, ne quid hic turbae fiat itidem.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

CONGRIO.

Optati cives, populares, incolae, accolae, advenae omnes,
Date viam, qua fugere liceat, facite totae plateae pateant;
Neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni in Bacchanal coqui-
(natum:
Ita me miserum et meos discipulos fustibus male contuderunt.
Totus doleo, atque oppido perii: ita me iste habuit senex gymmasium.
Neque ligna ego usquam gentium praeberi vidi pulchrius:
Itaque omnis exegit foras me atque hos onustos fustibus.
Attat, perii hercle ego miser, aperitur Bacchanal; adest;
Sequitur. scio quam rem geram: hoc ipsus magister me docet.

3. *ad Bacchas veni in Bacchanal coquinatum.* Recte Boxhornius hunc versum explicuisse mihi videtur, dicens: veni in locum, in quo ad coquendum destinato, non jam sunt nisi furentes et Bacchantes. — Bacchus enim furoris praeses habebatur, unde apud Graecos, quae Bacchi festa celebrabant, saepe *Μαινάδες* vocantur. Eurip. in Bacch. v. 916.

Ἔξιθι πάροιθε δωμάτων ὄφθητί μοι
Σκευὴν γυναικὸς μαινάδος βάκχης ἔχων.

7. *itaque.* Pro *et ita* ut saepe. Livius I. 4. *ita geniti, itaque educati.* Vid. Drakenb. ad Livium III. 30. 7.

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

EUCLIO. CONGRIO.

Redi: quo fugis nunc? tene, tene. *Cong.* quid tu, stolide, clamas?
Euc. Quia ad tresviros jam ego deferam tuum nomen. *Cong.* quam-(obrem?
Euc. Quia cultrum habes. *Cong.* hem, cocum decet. *Euc.* quid (comminatus
Mihi? *Cong.* istuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.
Euc. Homo nullus est te scelestior qui vivat hodie,
Neque cui amplius de industria male plus lubens faxim.
Cong. Pol etsi taceas, palam id quidem est: res ipsa testis est:
Ita fustibus sum mollior magis quam illus cinaedus.
Sed quid tibi nos, mendice homo, tactio est? quae res?

6. *amplius plus.* Plautus saepe incrementum quoddam, pleonasmi speciem referens, vim sententiae vero insigniter augens, comparativis addit. Menaech. prol. v. 55.

magis majores nugas egerit.

Stich. V. 4. 22.

imo enim hic magis est dulcius.

Mercat. V. 2. 57.

neque est cui magis me velle melius (aequum siet.

Similiter Graeci. Hom. Iliad XXIV. 203.

ῥηΐτεροι μᾶλλον.

Herod. I. 32. μᾶλλον ὀλβιώτερός ἐστι. Eurip. Hippol. 490. λόγος μᾶλλον ἀλγίων κλύειν. Isocrat. Archid. p. 138. B. C. πολὺ μᾶλλον κρεῖττον. Vid. Berneccerus ad Just. III. 2. 7. et Wesseling. ad Herod. VII. 143.

9. *nos tactio est.* Saepe nominibus verbalibus in *io*, eosdem casus jungere solent Latini, quos verba regunt: apud Plautum saepissime obviam fit: hac eadem fab. IV. 10. 14. Latina exempla praebet Heusing. ad Vechneri Hellenol. p. 264. Etiam Graecis hoc commune erat. Plato Apolog. 17. ἡ ἐμὴ τῷ θεῷ ὑπηρεσία. Aelian. Var. Hist. II. 41. extremo. Κλείω εἰς ἄμιλλαν ἰοῦσα, οὐ γυναιξὶ μόναις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀνδράσιν τοῖς συμπέταις, δεινοτάτη πιεῖν ἦν. Conf. Wesseling ad Diod. Sic. I. 4. et ad Herod. VII. 16.

9. *quae res?* Solemnis formula qua utebantur admirantes, stomachantes, et indignatione perciti. Persa III. 1. 32.

quae hae res sunt?

Ibid. V. 2. 65. et Poenul. V. 4. 29. Similiter Graecis fere οἷον habet vim admirandi. Odyss. II. 239.

οἷον ἅπαντες ἧσθ' ἄνεῳ. Aristoph. Pace 33.

οἷον δὲ κύψας ὁ κατάρατος ἐσθίει. Vid. Valcken. ad Phoeniss. 1633.

Euc. Etiam rogitas? an quia minus, quam aequom erat, feci?
Cong. Sine: at hercle cum magno malo tuo, si hoc caput sentit.
Euc. Pol ego haud scio quid post fuat: tuum nunc caput sentit.
Sed in aedibus quid tibi meis nam erat negoti
Me absente, nisi ego jusseram? volo scire. *Cong.* tace ergo.
Quia venimus coctum ad nuptias. *Euc.* quid, malum, curas
Tu, utrum crudum an coctum edam, nisi tu mihi es tutor?
Cong. Volo scire, sinas, an non sinas nos coquere hîc coenam.
Euc. Volo scire ego item, meae domi mea salva futura.
Cong. Utinam mea mihi modo auferam, quae attuli, salva.
Me haud poenitet, tua ne expetam. *Euc.* scio, ne doce: novi.
Cong. Quid est, qua prohibes nunc gratia nos coquere hîc coenam?
Quid fecimus? quid diximus tibi secus quam velles?
Euc. Etiam rogitas, sceleste homo, qui angulos omnis
Mearum aedium et conclavium mihi perviam facitis?
Id ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses,
Non fissile haberes caput; merito id tibi factum est.
Adeo ut meam sententiam jam noscere possis;
Si ad januam huc accesseris, nisi jussero, propius,
Ego te faciam, miserrimus mortalis uti sis.
Scis jam meam sententiam? quo abis? redi rursum.
Cong. Ita me bene amet Laverna, te jam, nisi reddi

11. *Sine.* Minantis est: Noster Asin. V. 2. 48.

sine! venias modo domum.

Mostel. I. 1. 10.

sine modo adveniat senex.

Terent. Eun. I. 1. 20.

sine modo,
mori me malim: sentiet qui vir siem.

20. *haud poenitet.* Lambinus recte explicavit: nam *haud poenitere* interdum eleganter significat, contentum esse, gaudere. Vid. Ernest. clav. Cicer. in voce.

30. *scis jam meam sententiam?* tollo signum interrogationis, ut habeat versus vim quandam comminandi.

31. *Laverna.* Hanc deam Romani precabantur ut instituta sua, et consilia furandi ac mentiendi fortunaret. Horat. I. Ep. 16. 60.

Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da justum sanc-
(tumque videri.

Graeci in eadem re orabant τὴν Πραξιδίκην, quae furandi consilia ad effectum duceret. Erat autem ea Dea tantum caput, sine reliquo corpore. Scalig.

Mihi vasa jubes, pipulo differam hic ante aedis. —
Quid ego nunc agam? nae ego edepol veni huc auspicio malo;
Nummo sum conductus: plus jam medico mercede opus est.
Euc. Hoc quidem hercle, quoquo ibo, mecum erit, mecum feram,
Neque istuc in tantis periclis unquam committam ut siet.
Ite sane nunc jam intro omnes, et coqui, et tibicinae;
Etiam, introduce, si vis, vel gregem venalium.
Coquite, facite, festinate nunc jam quantum lubet.
Cong. Temperi; postquam implevisti fusti fissorum caput.
Euc. Intro abi: opera huc conducta est vestra, non oratio.
Cong. Heu, senex, pro vapulando hercle ego abs te mercedem petam;
Coctum ego, non vapulatum dudum conductus fui.
Euc. Lege agito mecum: molestus ne sis; i, et coenam coque
Aut abi in malum cruciatum ab aedibus. ***Cong.*** abi tu modo.

32. ***Differam.*** Differre, inquit Nonius, valet interdum diffamare, et hunc locum affert: etiam Terentius hoc sensu usurpat. And. II. 4. 4.

orationem sperat invenisse se,
Qua differat te. Graeci utuntur verbo ἐνδατεῖσθαι. Eurip. Hercul. fur. 218. λόγους ὀνειδιστῆρας ἐνδατούμενος. Vid. interpretes ad Hesych Sophoc. Trach. 791. τὸ δυςπάρευνον λέκτρον ἐνδατούμε-
(νος,
ubi vid. Brunck. ***pipulo*** id est convicio vel ploratu. Omnino vid. Lambinus, qui recte locum explicavit.

36. ***committam.*** Donatus ad Terent. And. I. 43. ***committimus magna et quae salutem in dubio habent:*** vid. etiam ad And. III. 5. 3.

40. ***implevisti fusti fissorum caput.*** Fissa sunt vulnera ut paulo supra eadem scena vers. 26.

non fissile haberes caput.
Ad constructionem quod attinet, conf. Lucian. in Timon. cap. 57. φέρε σου τὴν κεφαλὴν ἐμπλήσω κονδύλων.

44. ***Lege agito mecum:*** lege agere cum aliquo, vel in aliquem, duplicem habet significationem: primo notat in jure, id, quod lege quadam institutum est, agere, ut hoc loco, et Terent. Phorm. V. 7. 91. ubi Donat. haec: ***dicebatur ei cujus intentio contemtibilis adversario videbatur*** — Deinde significat, supplicium sumere de aliquo, formula legitima. Valer. Max. III. 8. ***Literas in sinistra manu, sicut erant traditae, reposuit, ac jusso lictore jure agere, tum demum aperuit.*** Livius XXVI. 15. ***Fulvius praeconi imperavit, ut lictorem lege agere juberet:*** ibid. 16. vid. Ernest. clav. Cicer. voce ***Lex.***

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

EUCLIO.

Illic hinc abiit; Di immortales, facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper coepit rem habere aut negotium.
Veluti Megadorus tentat me omnibus miserum modis,
Qui simulavit mei honoris mittere huc causa coquos:
Is ea causa misit, hoc qui surriperent misero mihi.
Condigne etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit paenissime;
Ubi erat haec defossa, occoepit ibi scalpturire ungulis
Circumcirca; quid opus est verbis? ita mi pectus peracuit:
Capio fustem, obtrunco gallum, furem manifestarium.
Credo ego illi edepol mercedem gallo pollicitos coquos,
Si id palam fecisset; exemi e manu manubrium.
Quid opus est verbis? facta est pugna in gallo gallinacco.

2. *cum opulento pauper.* Similiter Terent. Phorm. IV. 3. 48. *Veniebat in mentem ejus incommodum, In servitutem pauperem ad ditem dari.*

4. *Simulavit mittere.* Saepe pronomina personalia in accusativo omittuntur. Cicero de Offic. I. 1. *qui libri jam illis fere aequarunt.* Virg. Aen. X. 103. *Tum Zephyri posuere.* Vid. Ruhnk. ad Rut. Lup. I. p. 41.

6. *condigne.* Vocabulum Plauto frequens, significans, *digne te*, ἀξίως σου: plerumque in malam partem, saltem de fraudulento, fallaci, perfidoque usurpatur. Bacchid. III. 2. 8. Menaech. V. 5. 8. Poen. II. v. 17.

9. *ita.* Quod Gronov. Observ. III. 21. dicit, *ira* legendum esse, vereor ut rectum sit. *Ita* significat non semel, *valde, graviter, vehementer.* Nepos Pelop. 2. *Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae.* Livius IV. 12. *nisi quod ex Etruria haud ita multum frumenti advectum est.* Etiam posset explicari per *propterea*, ut Livii I. 10. *ita per se ipsum nomen Caecinum in agrum Romanum impetum facit.*

11. *Credo ego illi edepol mercedem gallo pollicitos coquos* Videtur Plautus hoc loco Aristophanem imitatus esse. Similiter enim fere comicus Graecus in Vespis. 100. seq.

τὸν ἀλεκτρυόνα δ', ὃς ἥδεν ἐφ' ἑσπέρας, ἔφη,
ὡς ὄψ' ἐγείρειν αὐτὸν ἀναπεπεισμένον,
παρὰ τῶν ὑπευθύνων ἔχοντα χρήματα.

Sed Megadorus meus affinis, eccum, incedit a foro.
Jam hunc non ausim praeterire, quin consistam et colloquar.

ACTUS TERTIUS. SCENA QUARTA.

MEGADORUS. EUCLIO.

Narravi amicis multis consilium meum
De conditione hac. Euclionis filiam
Laudant: sapienter factum, et consilio bono;
Nam, meo quidem animo, si idem faciant ceteri
Opulentiores, pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum,
Et multo fiat civitas concordior,
Et invidia nos minore utamur, quam utimur;
Et illae malam rem metuant, quam metuunt, magis;

15. *quin.* Significat *potius.* Sic etiam accipiendum Terent And. I. 1. 18. *Quin tu uno verbo dic, quid est quod (me velis.* Vid. Drakenb. ad Liv. II. 29. 8.

2. *Euclionis filiam laudant: sapienter factum.* Haec sic accipio. Probant amici me Euclionis filiam uxorem ducere; et haec probatio mihi sapientiam eorum declarat, eosque bono esse consilio. Tum melius sequentia procedunt. Megadorus enim garrulus est Senex, ut et hac ipsa scena videre est: valde amat philosophari, ut supra jam Act. II. Scena 1 et 2 vidimus.

4. *opulentiores — domum.* P. Victorius confert Platonem de Legib. VI. p. 733. *τοίνυν φῶμεν ἀγαθῶν πατέρων φύντι, τοὺς παρὰ τοῖς ἔμφροσιν εὐδόξους γάμους χρὴ γαμεῖν, οὗ σοι παραινοῖεν ἂν μὴ φεύγειν τὸν τῶν πενήτων. μηδὲ τὸν τῶν πλουσίων διώκειν διαφερόντως γάμον, ἀλλ' ἐὰν τ'ἄλλα ἰσάζῃ, τὸν ὑποδεέστερον ἀεὶ τιμῶντα εἰς τὴν κοινωνίαν ξυνίεναι. τῇ τε γὰρ πόλει ξύμφορον ἂν εἴη ταύτῃ ταῖς τε ξυνιούσαις ἑστίαις· τὸ γὰρ ὁμαλὸν καὶ ξύμμετρον ἀκράτου μυρίον διαφέρει πρὸς ἀρετήν.*

9. *malem rem metuant.* Non assentior Pistori, *malam rem*, per *malas artes* exponenti; magis mihi arridet Lambini explicatio, ad impudicitiae poenam referentis. Opulentiorum uxores, quippe quae ex virginibus indotatis ductae, magis metuant pudicitiam violare, ne repudium illis renuntiaretur; quod viris facere concessum erat: hoc metuant, ne ex conditione splendida lautiorique, ad duram asperamque, qua antea utebantur, paupertatem redire cogerentur. Haec enim erat formula divortium remittendi: *Res tuas tibi habeto.*

Et nos minore sumtu simus, quam sumus.
In maximam illuc populi partem est optumum;
In pauciores avidos altercatio est,
Quorum animis avidis, atque insatietatibus,
Neque lex, neque tutor facere est qui possit modum.
Namque hoc qui dicat, (quo illae nubent divites
Dotatae, si istud jus pauperibus ponitur?)
Quo lubeat nubant, dum ne dos fiat comes.
Hoc si ita fiat, mores meliores sibi
Parent, pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
Ego faxim, muli, pretio qui superant equos,
Sint viliores Gallicis cantheriis.
Euc. Ita me di amabunt, ut ego hunc ausculto lubens:
Nimis lepide fecit verba ad parsimoniam.
Meg. Nulla igitur dicat; Equidem dotem ad te adtuli
Majorem multo, quam tibi erat pecunia;
Enim mihi quidem aequum est, purpuram atque aurum dari,

14. *facere modum:* plerumque legitur *capere modum*, Lambinus jam conjecit *facere*, et recte ut videtur; *modum capere*, est sibi constituere, imponere; *facere* autem, est alteri fines determinare. Livius XXXIV. 4. *Sic cupiditates prius natae sunt quam leges, quae iis modum facerent.*

20. *ego faxim:* significat certo crederem, sine dubio res ita se haberet, ut: vid. Amphit. Act. I. 3. 13.

Ego faxim te Amphitruonem esse malis quam Jovem.

conf. Lindeman. ad Plaut. Capt. prol. 65. in edit. trium Plaut. Comoed.

23. *ad parsimoniam.* Nonnunquam praep. *ad* relationem quandam notat ut. Terent. Apd. III. 2. 2. *signa ad salutem* Caes. B. C. III. 101. *reliquis rebus quae sunt ad incendia.* Livius XXII. 19. *miles ad naves.* Livius XXXIV. 6. *servos ad remum cum stipendio nostro dabamus.* vid. ibi Gronov. Eodem modo Graeci utuntur praepositione εἰς. Euripides Orest. vs. 533.

ἐγὼ δὲ τ'ἄλλα μακάριος πέφυκ' ἀνὴρ,
πλὴν εἰς θυγατέρας. Troad. 1170.
δθ' Ἕκτορος μὲν εὐτυχοῦντος εἰς
(δόρυ.

26. *enim.* Non semel haec vox abundare videtur, ut Casin. II. 6. 14. *mihi enim?* eadem Scen. v. 20. *dicam enim.* Virg. Georg. III. 70. *Semper enim refice.* ubi vid. Servius. Ovid. Metam. XIV. 641. Animadvertendum insuper est, vox *enim*, quae semper secundum obtinet locum, hic ab initio poni; illud vero solis comicis usitatum est. Noster Cas. V. 2. 14. Bacch. IV. 4. 51. Terent. Hec. II. 1. 41.

Ancillas, mulos, muliones, pedissequos,
Salutigerulos pueros, vehicula, qui vehar.
Euc. Ut matronarum hic facta pernovit probe;
Moribus praefectum mulierum hunc factum velim.
Meg. Nunc quoquo venias, plus plaustrorum in aedibus
Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulchrum est, praequam ubi sumtus petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones patagiarii, indusiarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murobrecharii,
Propolae, linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii;
Solearii astant, astant molochinarii;
Petunt ciniflones, sarcinatores petunt;
Strophiarii astant, astant semizonarii.
Jam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt
Trecenti; circumstant phylacistae in atriis,
Textores, limbolarii, arcularii;
Ducuntur . . . . . aes datur
Jam hosce absolutos censeas . . . .
Cum incedunt infectores crocotarii;
Aut aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat.
Euc. Compellarem ego illum, ni metuam ne desinat
Memorare mores mulierum: nunc sic sinam.

28. *qui vehar.* Qui, est ablat. sing. attamen videtur etiam ad pluralem referri posse numerum, ut Capt. V. 4. 6. *coturnices dantur, quicum lusitent.* Cato de Re Rust. XI. 2. *cola, qui florem demant.*

36. *carinarii.* Sunt ii qui cerino colore pannum inficiunt: nam cera dorice est καρός, quae aliter κηρός dicitur. Turneb.

39. *Diabathrarii:* de hac voce vid. Festus in voce *Diabathra.*

45 usque ad 47. *Textores — censeas.* In hisce versibus ordinandis Goellerum secutus sum, lacunas inesse statuentem, licet Bothius verba, mutato ordine vulgato, in justos transposuerit versus. Rationes, quas Goellerus hanc in rem affert, fecerunt, ut ei adsentirer.

Meg. Ubi nugigerulis res soluta est omnibus,
Ibi ad postremum cedit miles, aes petit;
Itur, putatur ratio cum argentario.
Impransus miles astat, aes censet dari.
Ubi disputata est ratio cum argentario,
Etiam ipsus ultro debet argentario
Pro illis crocotis, strophiis, sumtu uxorio.
Spes prorogatur militi in alium diem.
Haec sunt atque aliae multae in magnis dotibus
Incommoditates, sumtusque intolerabiles.
Nam quae indotata est, ea in potestate est viri;
Dotatae mactant et malo et damno viros;
Sed eccum affinem ante aedes; quid agis, Euclio?
Euc. Nimium lubenter edi sermonem tuum.
Meg. Ain' audisti? *Euc.* usque a principio omnia. *Meg.* et tamen,
Meo quidem animo, paulo facias rectius,
Si nitidior sis filiae nuptiis,
Euc. Pro re nitorem et gloriam pro copia.

54. *putatur ratio.* i. e. Summa pura redditur, ratio subducitur, secernitur quid sui sit, quidve alieni: vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 54.

58. *Pro illis crocotis* etc. Cum Gulielmio hunc versum e Nonio, hoc loco inserendum puto.

63. *mactant et malo et damno. Mactare* proprie est *augere*, nempe derivatum a *magis auctare*; unde *mactus* verbum antiquum, quod in formula, *macte virtute*, remansit. Cicero Tuscul. I. 17. Sic et Livius VII. 36. dixit, *macti virtute, milites Romani, este.* Proprie est vox sacrorum; *mactare infortunio, malo, damno*, solemne Plauto est. Vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 55.

65. *edi sermonem tuum.* Translative *edere, gustare, devorare*, similibus, *sermonem, dicta*, pro *audire* frequenter utitur Plautus e. g. Asin. III. 3. 59. *auscultate, et mea dicta devorate.* Poen. V. 2. 9. *quam orationem hanc aures dulcem* Mostel. V. 1. 15. (*devorant!*) *gustare ego ejus sermonem volo.* Neque aliis hoc insolens. Horat. Carm. II. 13. 32. *Densum humeris bibit aure vulgus.* Ovid. Trist. III. 5. 14. *Et lacrimas cernens in singula verba cadentes.* *Ore meo lacrimas, auribus ille bibi.* Propert. III. 4. 8. Vid. Pricaeus ad Apul. Metam. I. p. 1.

69. *pro re — pro copia.* Nonnulli volunt *prae re — prae copia:* omnino cum Gronovio *pro re — pro copia* legendum, atque in fine versus

Qui habent meminerunt sese unde oriundi sient.
Neque pol, Megadore, mihi, neque cuiquam pauperi
Opinione melius res structa est domi.
Meg. Imo est, et dii faciant uti siet,
Plus plusque istuc sospitent, quod nunc habes.
Euc. Illuc mihi verbum non placet: quod nunc habes.
Tam hic scit me habere, quam egomet; anus fecit palam.
Meg. Quid tu te solus e senatu sevocas?
Euc. Pol ego, ut te accusem merito meditabar. ***Meg.*** quid est?
Euc. Quid sit me rogitas? qui mihi omnis angulos
Furum implevisti in aedibus misero mihi;
Qui mihi intromisti in aedes quingentos coquos,
Cum senis manibus, genere Geryonaceo;
Quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Joni Juno custodem addidit,

punctum ponendum videtur. Vid. Gronov. in nota ad hunc locum; locis, ab eo allatis haec addo: Ciceronis de Senectute cap. 9. *agere pro viribus*. pro Domo 41. *pro suis opibus*. Nepotis Epam. 3. *pro facultatibus*.

75. *Illud mihi verbum non placet, quod nunc habes.* Conferatur Molierius L'Avare Act. I. Scen. V. postquam avari filius dixerat, *vous avez assez de bien*, pater respondet: *celà est étrange, que mes propres enfants me trahissent, et deviennent mes ennemis*.

81. *mihi intromisti in aedes:* non placet frequens illa repetitio pron. *mihi;* legendum censeo ut habet editio Gronov. *qui intromisisti in aedibus;* nam veteres motum ad locum saepe per *in* cum *ablat*: exprimunt. Noster Amphit. IV. 3. 14.

introrumpam in aedibus;

Phaedr. V. 1. 15.

quinam cinaedus ille in conspectu meo audet venire? ub vid. Burman. E contrario, ubi ex legibus grammaticis *ablativus* requiritur: saepe utuntur accusativo, ut Noster Amph. I. 1. 25.

numero mihi in mentem fuit.

Bach. I. 2. 53.

ecquid in mentem est tibi.

Livius XXXIII. 10. *parcere victis in animum habebat.* Gellius I. 7. Similiter Graeci *ἐν* pro *εἰς*. Thucyd. IV. 14. *ταῖς δὲ λοιπαῖς ἐν τῇ γῇ καταπεφευγυίαις ἐνέβαλλον*, ubi vid. Goellerus. Sophoc. Ajax. 80.

ἐμοὶ μὲν ἀρκεῖ τοῦτον εἰς δόμους (μένειν.

vid. Valck. ad Theoc. Adoniaz. p. 364.

84. *quem quondam — addidit.* Subditicius hicce videtur versus: vid. ea de re Bothius et Goellerus: ceteroquin *addere* solemne in tali re verbum Noster Capt. III. 5. 50.

cui me custodem addiderat herus (major meus.

Mil. Glor. II. 6. 69. Hor. Carm. III. 4. 78.

Is nunquam servet: praeterea tibicinam,
Quae mihi interbibere sola, si vino scatet,
Corinthiensem fontem Pirenem potest.
Tum obsonium autem! *Meg.* pol vel legioni sat est,
Etiam agnum misi. *Euc.* quo quidem agno, sat scio,
Magis curionem nusquam esse ullam belluam.
Meg. Volo ego ex te scire, qui sit agnus curio.
Euc. Qui ossa atque pellis totus est, ita cura macet.
Quin exta inspicere in sole etiam vivo licet,
Ita is pellucet quasi laterna Punica.
Meg. Caedundum illum ego conduxi. *Euc.* tum tu idem optimum est
Loces efferendum, nam jam, credo, mortuus est.
Meg. Potare ego hodie, Euclio, tecum volo.
Euc. Non potem ego quidem, hercle. *Meg.* at ego jussero
Cadum unum vini veteris a me afferrier.

86. *interbibere.* *Inter* in compositis saepe significat, *penitus*, *omnino*, *plane*; vid. Donat. ad Terent. And. IV. 1. 39.

89. *etiam.* Hoc loco cum ironia quadam positum; significat *scilicet*, *nempe*; sic et Graeci utuntur voce καί. Homer. Iliad. V. 362.

Τυδείδης, ὃς νῦν γε καὶ ἂν Διὶ πα-
(τρὶ μάχοιτο.

Eurip. Iphig. T. 352.

καὶ τοῦτ' ἄρ' ἦν ἀληθές.

Vid. Valcken. ad Eurip. Phoenis v. 277. pag. 98 seq.

92. *ossa atque pellis totus est.* Similis locus exstat Capt. I. 2. 32.

*Ossa atque pellis sum miser a macri-
(tudine.*

Sic enim ibi legendum monuit Bosscha, non, ut vulgo, *misera macritudine.* Theocrit. II. 89.

αὐτὰ δὲ λοιπὰ
ὀστέ' ἔτ' ἦς καὶ δέρμα.

ubi haec dedit Casaub. Lect. Theocrit. p. 70. hunc Aululariae locum afferens: Theocriti imitationem, vel potius συνέμπτωσιν, in dicta paria et similia, non uno loco deprehendas in Plauto. — Porro conf. Theocrit. IV. 15.

τᾶς πόρτιος αὐτὰ λέλειπται
τ'ὠστέα. Apoll. Argon. II. 201.
ῥινοὶ δὲ σὺν ὀστέα μοῦνον ἔεργον.

94. *laterna.* Cur Goellerus *lucerna* legat plane me fugit; varians lectio, quae nusquam, quantum scio reperitur.

96. *loces efferendum.* Similiter fere Aristoph. in Pluto v. 1006 seq.

Γρ. καὶ μὴν πρὸ τοῦ γ' ὀσημέραι, τὴ
(τὼ θεὼ,
ἐπὶ τὴν θύραν ἐβάδιζεν ἀεὶ τὴν
(ἐμήν.
Χρ. ἐπ' ἐκφοράν. Γρ. μὰ Δί', ἀλλὰ
(τῆς φωτῆς μόνον
ἐρῶν ἀκοῦσαι.

Euc. Nolo hercle: nam mi bibere decretum est aquam.
Meg. Ego te hodie reddam madidum, si vivo, probe,
Tibi cui decretum est bibere aquam. *Euc.* scio quam rem agat;
Ut me deponat vino, eam affectat viam;
Post hoc, quod habeo, ut commutet coloniam.
Ego id cavebo, nam alicubi abstrudam foris.
Ego faxo, et operam et vinum perdiderit simul.
Meg. Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacruficem.
Euc. Edepol, nae tu, Aula, multos inimicos habes,
Atque istuc aurum, quod tibi concreditum est.
Nunc hoc mihi factum est optumum, ut te auferam,
Aula, in Fidei fanum; ibi abstrudam probe.
Fides, novisti me, et ego te: cave sis, tibi
Ne tu immutassis nomen, si hoc concreduo.
Ibo ad te fretus tua, Fides, fiducia.

103. *deponat vino.* i. e. me tam ebrium reddat, ut sim mortui instar; depositus enim saepe est mortuus; Ovid. Trist. III. 3. 40.

Depositum nec me qui fleat ullus (erit.

Virg. Aen. XII. 395.

Ille ut depositi proferret fata pa- (rentis.

Sic fere Propert. III. 9. 56. *lingua sepulta mero.* Pro *sepelire* non semel vox *componere* occurrit. Horat. Sat. I. 9. 28. Ovid. Fast. V. 426. Ovid. Amor. I. 4. 53. dixit *compositus somno vinoque.* Vid. Gronov. Lect. Plaut. p. 56. Graeci dicunt καθίζειν οἰνώμενον; de qua formula vid. Casaub. lect. Theocrit. p. 55. edit. Reiskii.

105. *nam alicubi.* Goellerus perperam, ut videtur, edidit: *me alicubi;* neque ulla Codd. auctoritate nisus non enim Euclio se ipsum condere aut occultare voluit, nam adfuturus erat in nuptiis, ut patet ex Act. IV. 2. 5. ubi, abstruso thesauro, a Fidei fano rediens haec dicit,

Nunc lavabo, ut rem divinam faciam, (ne affinem morer.

Aulam vero certo quodam loco condere in animo habebat. Vide infra v. 110 seq.

106. *operam et vinum perdiderit;* respicit proverbium, *oleum et operam perdere*, ut monuit Lambin. de quo proverbio conf. Macrob. Saturn. II. cap. 5.

112. *novisti me et ego te:* blandientis formula, ut supra II. 2. 40.

quoniam tu me, et ego te, qualis (sis, scio.

112. *cave sis tibi.* Distinguo, *cave sis, tibi* etc. Noster Menaech. prol. 40.

Immutat nomen avus huic gemino (alteri.

Cave sis tibi, nimis minaciter dictum videtur.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

STROBILUS.

Hoc est servi facinus frugi, facere quod ego persequor:
Nam qui hero ex sententia servire servus postulat,
In herum matura, in se sera condecet capessere;
Nec morae molestiaeque imperium herile habeat sibi.
Sin dormitet, ita dormitet, servum sese ut cogitet.
Nam qui amanti hero servitutem servit, quasi ego servio,
Si herum videt superare amorem, hoc servi esse officium reor,
Retinere ad salutem: non eum, quo incumbat, eo impellere.
Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea induitur ratis,
Qui laborent minus, facilius ut nent, et moveant manus;
Eo modo servom ratem esse amanti hero aquum censeo,
Ut toleret, ne pessum abeat, tanquam.....
Heri imperium ediscat, ut, quod frons velit, oculi sciant;
Quod jubeat, citis quadrigis citius properet persequi.
Qui ea curabit, abstinebit censione bubula,
Nec sua opera unquam rediget in splendorem compedes.
Nunc herus meus amat filiam hujus Euclionis pauperis:

2. *Nam qui hero — habeat sibi.* Goellerum secutus sum, ordinem horum versuum mutantem.

12. *tanquam.* Mss. lacunam praebent, ut perhibet Lambinus, post *tanquam*, quam explere conatus est, addens *catapiratae maris.* Salmasius vero, negans codicibus inesse lacunam, sic scribendum censet

Tamque herile imperium ediscat, ut
(quod frons velit, oculi sciant.

i. e. Adeo ediscat imperium herile, ut quod vultus velit heri, eum videndo norit.

14. *citis quadrigis:* proverbialis locutio pro, maxima cum celeritate. Saepe ea Plautus utitur. Amph. I. 1. 294.

quadrigas si nunc insendas Jovis

Asin. II. 2. 13. Poen. I. 2. 156.

illum jubeo quadrigis cursim ad car-
(nificem rapi.

15. *censione bubula.* Turnebus recte explicavit dicens: censionem bubulam festive vocavit verbera lori bubuli, cujus censura in servos animadvertitur. Itaque *censio*, quae proprie est *aestimatio*, τίμησις, hic est *animadversio*, τιμωρία. Vid. insuper Festus in voce.

Eam hero nunc renunciatum est nuptum huic Megadoro dari.
Is speculatum huc misit me, ut quae fierent fieret particeps.
Nunc sine omni suspicione in ara hic assidam sacra;
Hinc ego et huc et illuc potero, quid agant, arbitrarier.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

EUCLIO. STROBILUS.

Tu modo cave cuiquam indicassis, aurum meum esse istic, Fides;
Non metuo, ne quisquam inveniat: ita probe in latebris situm est.
Edepol nae illic pulchram praedam agat, si quis illam invenerit
Aulam onustam auri; verum id te quaeso ut prohibessis, Fides.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam, ne affinem morer,
Quin, ubi arcessat, meam extemplo filiam ducat domum.
Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, salvam ut aulam abs te auferam.
Tuae fidei concredidi aurum: in tuo luco et fano est situm.
Strob. Di immortales! quod ego hunc hominem facinus audio loqui?
Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano; Fides,
Cave tu illi fidelis, quaeso, potius fueris, quam mihi.
Atque hic pater est, ut ego opinor, hujus, herus quam amat.
Ibo hinc intro: perscrutabor fanum, si inveniam uspiam

20. *sine omni suspicione.* Vide supra ad II. 2. 38.

21. *arbitrarier.* Significat, *prospicere, videre*: etiam Plautus hanc vocem pro *audire* usurpat: Capt. II. 1. 24. *Ne arbitri dicta nostro arbitrari (queant.*

6. *ubi arcessat:* vulgo additur *me.* Bothius delevit adnotavitque sponsam esse arcessendam, non senem: recte.

13. *Si inveniam. Si* nonnunquam pro *an* usurpatur. Livius I. 57. *tentata res est, si primo impetu capi Ardea posset.* Livius XL. 49. *quaesivit iterum, si cum Romanis militare liceret.* Vid. Dukerus ad Florum III. 36. Eodem modo Graecorum *εἰ* construitur, ut notum est: Herod. I. 53. *ἐνετέλλετο ὁ Κροῖσος ἐπειρωτᾶν τὰ χρηστήρια, εἰ στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας.* Xenoph. Anab. IV. 8. 7. *ἠρώτων ἐκεῖνοι, εἰ δοῖεν ἂν τούτων τὰ πιστά.* Plato de Rep. I. cap. 12. *εἰ δὲ ἀληθὲς ἢ μή, πειράσομαι μαθεῖν.* Confer. Viger. de Graec. dict. Idiot. p. 505.

Aurum, dum hic est occupatus; sed si reperero, Fides,
Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam;
Id adeo tibi faciam; verum ego mihi bibam, ubi id fecero.

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

EUCLIO.

Non temere est, quod corvos cantat mihi nunc ab laeva manu;
Simul radebat pedibus terram, et voce crocibat fera.
Continuo meum cor coepit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare; sed ego cesso currere.

16. *faciam: rem divinam facere* pro *sacrificare* sat notum est: ea de re vide Gronov. Lect. Plaut. p. 58. *Facere* vero simpliciter idem significat. Noster Rudente III. 44.

hic nobiscum die facere postulas? Stich. I. 3. 96.

quot agnis fecerat? ad quam quaestionem Crocotium respondet,

Illa quidem nullum sacrificavit. Tibul. IV. 6. 14.

Ter tibi fit libo, ter, Dea casta, mero. vid. Virg. Eclog. III. 77. ibique Servius.

1. *non temere est.* Significat: *causa gravior est:* non semel haec formula a comicis usurpata est. Vid. Heins ad Virg. IX. 375.

1. *corvos cantat ab laeva manu.* Infaustum augurium; non tamen omnes aves a laeva manu apparentes, vel cantantes malum auspicium faciebant. Noster Asin. II. 1. 12.

Picus et cornix est ab laeva: corvus consuadent. (*porro ab dextera* Cicero de Divinat. I. 39. *cur a dextera corvus, a sinistra cornix faciat ratum.* Hinc etiam *sinistra auspicia* pro *fausta.* Cicero de Divinat. II. 39. *quanquam non ignoro, quae bona sunt, sinistra nos dicere.* Hippocrat. de Diaeta, Vol. XXII. Medic. Graec. oper. edit. Kühn. p. 30. ὅτι οἱ μάντεις τὸν αὐτὸν ὄρνιθα, εἰ μὲν ἀριστερὸς εἴη, ἀγαθὸν νομίζουσιν εἶναι, εἰ δὲ δεξιὸς, κακόν. Conf. Servius ad Virg. Aen. II. 693. porro Noster Epid. II. 2. 1. Pseud. II. 4. 72. De auspiciis vid. Meurs. Miscel. X. 151.

2. *fera.* Cum Goellero, praeeunte Bothio, dedi *fera* pro *sua;* eaedem voces confusae Ovid. Metam. I. 159.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

EUCLIO. STROBILUS.

Foras, foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo,
Qui modo nusquam comparebas; nunc quom compares, peris.
Ego edepol te, praestigiator, miseris jam accipiam modis.
Strob. Quae te mala crux agitat? quid tibi mecum est commercii, senex?
Quid me afflictas? quid me raptas? qua me causa verberas? 5.
Euc. Verberabilissime, etiam rogitas? non fur, sed trifur.
Strob. Quid tibi surripui? ***Euc.*** redde huc sis. ***Strob.*** quid tibi (vis reddam? ***Euc.*** rogas?
Strob. Nihil equidem tibi abstuli. ***Euc.*** at illud, quod tibi ab- (stuleras, cedo.
Ecquid agis? ***Strob.*** quid agam? ***Euc.*** auferre non potes. ***Strob.*** (quid vis tibi?
Euc. Pone. ***Strob.*** equidem pol te datare, credo, consuetum, senex. 10.
Euc. Pone hoc sis: aufer cavillam: non ego nunc nugas ago.
Strob. Quid ego ponam? quin tu eloquere quicquid est suo nomine.
Non hercle equidem quidquam sumsi, nec tetigi. ***Euc.*** ostende (huc manus.
Strob. Hem tibi! ***Euc.*** ostende. ***Strob.*** eccas. ***Euc.*** video; age (ostende etiam tertiam.
Strob. Larvae hunc atque intemperiae insaniaeque agitant senem. 15.

6. *verberabilissime* i. e. verberibus dignissime μαστιγωσιμώτατε.

11. *aufer cavillam* i. e. omitte cavillam: desine cavillari. Noster Trucul. IV. 4. 8.

aufer nugas. Horat Sat. II. 7. 42.

aufer me vultu terrere. Juvenal. VI. 170. sic fere.

Tolle tuum precor Hannibalem vic- (tumque Syphacem.

Vid. Burman. ad Phaed. III. 6. 8. Bentl. ad Terent. Adel. V. 8. 14. Similiter Aristoph. in Pace v. 454.

ἄφελε τὸ παίειν, ἀλλ' ἰὴ μόνον λίγε.

Xenoph. de Re equestri V. 9. τὴν γε μὴν τῶν σκελῶν κατάπλυσιν ἀφαιρούμεν.

14. *ostende etiam tertiam.* Imitatus Molierius L'Avare Act. I. Sceu. III. Harpag. *Montre-moi tes mains.* La Flech. *Les voilà.* Harpag. *Les autres.*

Facisne injuriam mihi an non? *Euc.* fateor, quia non pendes, maximam:
Atque id quoque jam fiet, nisi fatere. *Strob.* quid fatear tibi?
Euc. Quid abstulisti hinc? *Strob.* di me perdant, si ego tui quic-
(quam abstuli,
Neve adeo abstulisse vellem. *Euc.* agedum, excutedum pallium.
Strob. Tuo arbitratu. *Euc.* ne inter tunicas habeas. *Strob.* tenta
(qua lubet.
Euc. Vah, scelestus, quam benigne! ut ne abstulisse intellegam.
Novi sycophantias; age! rursus ostende huc manum
Dexteram. *Strob.* hem! *Euc.* nunc laevam ostende. *Strob.* quin
(equidem ambas profero.
Euc. Jam scrutari mitto; redde huc. *Strob.* quid reddam? *Euc.*
(ah nugas agis,
Certe habes. *Strob.* habeo ego? quid habeo? *Euc.* non dico,
(audire expetis.
Id meum, quicquid habes, redde. *Strob.* insanis: perscrutatus es
Tuo arbitratu, neque tui me quicquam invenisti penes.
Euc. Mane, mane: quis illic est, qui intus alter erat tecum simul?
Perii hercle! ille nunc intus turbat; hunc si amitto, hic abierit:
Postremo hunc jam perscrutavi: hic nihil habet; abi quo lubet:
Juppiter te dique perdant. *Strob.* haud agit male gratias.

16. *Facisne injuriam mihi an non? — maximam.* Similiter fere Aristoph. in Pluto 464.

καὶ τί ἂν νομίζετον κακὸν ἐργάσασθαι ἀνθρώπους; Χρ:
(δ, τι;
εἰ τοῦτο δρᾶν μέλλοντες ἐπιλαθοί-
(μεθα.

19. *neve adeo abstulisse vellem:* credo haec a Strobilo, non, ut vulgo distinguitur, ab Euclione dici: hoc enim vult Strobilus. Neque vellem me nunc jam abstulisse, nam diutius celare non possem, reddendumque esset aurum: dum ab Euclione accipi possent quasi dixisset, non vellem me tam scelestum esse ut istud facinus perpetrare potuissem. *Neve* saepe utuntur pro *neque*. Cicero ad Quint. Fratrem I. 1. init. *neve te obrui, tanquam fluctu, sic magnitudine negotii sinas.* Caesar. Bel. Gal. VI. 19. *neve cum quo alio communicet.*

30. *perscrutavi.* Pro *perscrutatus sum:* non insolens est Plauto, variis eorundem verborum formis uti: paulo supra dixit, *perscrutatus es.*

31. *Juppiter te dique perdant.* Puto haec esse verba Strobili; sequentia vero, inde ab *haud agit* usque ad *an non?* Euclionis; sic etiam distinguit v. c. Camerarius.

Euc. Ibo hinc intro atque illi socienno tuo jam interstringam gulam: Fugin' hinc ab oculis? abin' hinc an non? *Strob.* abeo. *Euc.* cave (sis revideam.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUINTA.

STROBILUS.

Emortuum ego me mavelim leto malo,
Quam non ego illi dem hodie insidias seni:
Namque hic jam non audebit aurum abstrudere;
Credo efferet jam secum, et mutabit locum.
Atat foris crepuit! senex, eccum, aurum effert foras.
Tantisper hinc ab janua concessero.

ACTUS QUARTUS. SCENA SEXTA.

EUCLIO. STROBILUS.

Fidei censebam maxumam multo fidem

32. *interstringam* i.e. *penitus, prorsus* obstringam: vide supra ad III. 4. 86.

3. *Jam non audebit. Jam* nonnunquam significat: *porro, posthac*, in primis in negationibus. Terent. Heaut. IV. 3. 1.

Nulla mihi res posthac potest jam (intervenire.

Cicero Verrin. III. 94. extrem. *non est jam in lege atque officio* ubi de futuro loquitur. Livius XXX. 7. *cum uxor non jam, ut ante, blanditiis valuisset.* Phaed. I. 8. 3.

Impune abire deinde quia jam non (potest.

5. *foris crepuit*: quando egressurus quis erat, plerumque, in comoediia, fores dicebantur *crepare*: ingredientium vero erat *pulsare*; idem differunt apud Graecos ψοφεῖν, et κόπτειν vel ἀράσσειν, quorum haec ingredientium sunt, illud vero est egredientium. Vid. Schol. ad Aristoph. Nub. 132. Eurip. Iphig. Taur. 1319. πύλας ἀράξας, καὶ φόβον πέμψας (ἔσω;

6. *ab janua*: non ut vulgo *ad januam*: nam timebat Strobilus ne ab sene exeunte videretur. Acidalius emendavit.

Esse: ea sublevit os mihi paenissime.
Ni subvenisset corvus, periissem miser.
Nimis hercle ego illum corvum, ad me veniat, velim,
Qui indicium fecit, ut ego illi aliquid boni
Dicam, nam quod edit, tam duim, quam perduim.
Nunc hoc ubi abstrudam cogito solum locum.
Silvani lucus extra murum est, avius,
Crebro salicto oppletus, ibi sumam locum.
Certum est; Silvano potius credam, quam Fidei.
Strob. Euge! euge! di me salvum, et servatum volunt.
Jam ego illuc praecurram, atque inscendam aliquam in arborem:
Indeque observabo, aurum ubi abstrudat senex.
Certum est; malum rem potius quaeram cum lucro.

ACTUS QUARTUS. SCENA SEPTIMA.

LYCONIDES. EUNOMIA. PHAEDRA.

Dixi tibi', Mater: juxta rem mecum tenes
Super Euclionis filia; nunc te obsecro,
Resecroque mater, quod dudum obsecraveram.

2. *Sublevit os mihi. Sublinere os alicui* significat *aliquem decipere.* Gronovius putat translatum esse ex more quo veteres, in primis puellae, virum quaerentes, faciem linebant, ut naevos occultarent, aut pulcro colore essent; Nonius vero, a ridiculo quodam lusus genere deducit, quo dormientibus, aut alioquin imprudentibus ora pingebantur; cui explicationi glossa M. S. Pal. 4. favet, quae hisce continetur verbis: *Locutio*, sublinere os, *tracta a genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur.* Graeci dicunt ἀποψώσειν.

8. *avius.* i. e. extra viam, idcirco pedibus hominum non tritus: Graecis ἄβατος quod etiam significat *sacer.* Plutarcho Hellen. cap. 39. τὸ ἄβατον est adytum.

13. *abstrudat senex*: post haec verba nonnullae editiones hunc habent versum:

Quanquam hic manere herus me sese (jusserat.

Retinendum censeo, quia lucem ultimo hujus scenae versui affert, cujus sensus, his rejectis, non satis perspicitur.

Fac mentionem cum avunculo, mater mea.
Eun. Scis tute, facta velle me, quae tu velis,
Et istuc confido a fratre me impetrassere,
Et causa justa est, si quidem ita est, ut praedicas;
Te eam compressisse vinolentum, virginem.
Lyc. Egone ut te advorsum mentiar, mater mea?
Phaed. Perii, mea nutrix! obsecro te, uterum dolet:
Juno Lucina, tuam fidem! ***Lyc.*** hem! mater mea,
Tibi rem potiorem video: clamat, parturit.
Eun. I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum,
(**Ut** istuc quod tu me oras, efficiam tibi)
Ut istuc quod tu me oras impetratum ab eo auferam.
Lyc. I, jam sequor te, mater; sed servom meum
Strobilum miror ubi sit, quem ego me jusseram
Hic opperiri. Nunc ego mecum cogito,
Si mihi dat operam, me illi irasci injurium est.
Ibo intro, ubi de capite meo sunt comitia.

ACTUS QUARTUS. SCENA OCTAVA.

STROBILUS.

Picos divitiis, qui aureos montes colunt,
Ego solus supero. Nam istos reges ceteros

4. *fac mentionem cum avunculo.* Rara syntaxis, qua tamen non semel Plautus utitur. Cistel. I. 2. 15. *Quod saepe mecum mentionem fecerit.* Persa I. 3. 29. *Qua de re ego tecum mentionem fecerim!*

9. *te advorsum mentiar*, i. e. tibi mentiar, sic et Terent. And. I. 5. 30. *adversum hunc loqui.* Saepe significat *erga*, Livius V. 35. *quanquam adversus Romanos nullum eis jus societatis amicitiaeve erat.* Livius XXIX. 8. *bonaque eorum alterius factionis principibus, ob egregiam fidem adversus Romanos, concessit.* ubi vid. Drakenb.

11. *Juno Lucina:* vid. Lambin. ad hunc locum et Donat. ad Terent. And. III. 1. 15. Insuper interpret. ad Senecae Medeam ipso initio.

Memorare nolo, hominum mendicabula;
Ego sum ille rex Philippus. O lepidum diem!
Nam ut dudum hinc abii, multo illuc adveni prior,
Multoque prius me collocavi in arborem,
Indeque exspectabam ubi aurum abstrudebat senex.
Ubi ille abiit, ego me deorsum duco de arbore,
Effodio aulam auri plenam: inde ex eo loco
Video recipere se senem: ille me non videt;
Nam ego modo declinavi me paulum extra viam.
Atat! eccum ipsum; ibo, ut hoc condam, domum.

ACTUS QUARTUS. SCENA NONA.

EUCLIO. LYCONIDES.

Perii! interii! occidi! quo curram? quo non curram? tene, tene:
(quem? quis?
Nescio, nil video, caecus eo, atque equidem quo eam, aut ubi sim,
(aut qui sim,
Nequeo cum animo certum investigare: obsecro vos ego, mi auxilio,
Oro, obtestor, sitis, et hominem demonstretis, qui eam abstulerit.
Quid ais tu? tibi credere certum est: nam esse bonum e vultu cognosco.

7. *exspectabam*: i. e. spectabam, attente prospiciebam ut viderem vel scirem: vid. Ruhnken. ad Rut. Lup. I. 20. Caesar Bell. Gall. II. 9. *hanc si nostri transirent hostes exspectabant.* Ibidem III. 24. *quid hostes consilii caperent, exspectabat.*

12. *Atat!* interjectio, qua utuntur, quibus praeter exspectationem, boni aut mali quid accidit.

1. *Perii! interii!* Usquè ad versum 16 Hermannum in dimetiendis versibus sum secutus. vid. ejus Elem. doct. metr. p. 412. Omnino hi versus conferendi sunt cum Molierii Avaro, Act. III. Scen. VII. qui ad verbum ferme haec Plautina vertit. Similis fere locus extat in Aristoph. Pluto v. 857 seqq.

Οἴμοι κακοδαίμων, ὡς ἀπόλωλα δείλαιος!
(λαιος!
Καὶ τριακοδαίμων, καὶ τετράκις,
(καὶ πεντάκις,
Καὶ δωδεκάκις, καὶ μυριάκις· ἰαὺ
(ἰαύ.
Οὕτω πολυφόρῳ συγκέκραμαι δαίμονι.
(μονι.

Quid est? quid ridetis? novi omnes; scio fures esse hic complures,
Qui vestitu et creta occultant sese, atque sedent quasi sint frugi.
Hem, nemo habet horum: occidisti: dic igitur; quis habet? nescis?
Hei me miserum, miserum: perii male perditus; pessume ornatus eo.
Tantum gemiti et malae maestitiae hic dies mihi obtulit,
Famem et pauperiem: perditus paenissime sum ego omnium
In terra: nam quid mi opus est vita, qui tantum aurum perdidi,
Quod custodivi sedulo; egomet me defraudavi,
Animumque meum, geniumque meum: nunc eo alii laetificantur,
Meo modo et damno; pati nequeo.
Lyc. Quinam homo hic ante aedis nostras ejulans conqueritur moerens?
Hic quidem Euclio est, opinor, oppido ego interii! palam est res,

7. *qui vestitu et creta occultant esse:* significat mores suos improbos dissimulare, et speciem probitatis prae se ferre: tracta est locutio, ex more honores petentium, qui togam candidam gestare soliti erant, unde candidati dicti, quos Senec. Epist. III. *bonos viros* vocat; *quo modo omnes candidatos bonos viros dicimus.* Vid. Gronov. Lect. Plaut. 59.

9. *male perditus:* i. e. *prorsus:* saepe vox *male* juncta cum verbis, in quibus jam inest quid mali, eorum vim magnopere intendit. Terent. Hec. III. 2. 2.

Male metuo, ne Philumenae magis (morbus adgravescat.

Cicero ad Att. XIV. 1. *non dubito quin me male oderit.* Horat. Sat. I. 4. 65.

Sulcius acer
Ambulat et Caprius, rauci male;

Livius XL. 7. *exceptus a juvenibus forte triclinio egressis, male mulcatur.*

13. *defraudavi me.* i. e. parcius vixi, neque animo indulsi. Sic Terent. Phorm. I. 1. 10. *suum defrudans genium:* ubi haec dedit Ruhnk. — *fraudare* et *defraudare* proprie est, per fraudem privare, sed saepe simpliciter dicitur pro privare. Veteres quoties hilarius et lautius se excipiebant, toties putabant se genium placare, curare, genio indulgere. Vid. Casaub. ad Pers. Sat. V. 151. contra qui parcius vivebant, nunquam hilaritati indulgebant, se genium defraudare existimabant. Livius II. 10. *unusquisque ei aliquid, fraudans se ipse victu suo, contulit*, et Livius V. 47. *cum se quisque victu suo fraudans.*

15. *pati.* i. e. ferre, sustinere, durare. Lucan. V. 314.

et disce sine armis
Posse pati,

ubi vid Grotius. Seneca Thyest. v. 470.

Immane regnum est, posse sine regno (pati,

ubi vid. Gronov. Graeci dicunt χαρτερεῖν. Xenoph. Cyrop. V. 1. 26. καὶ χαρτερήσομεν ὑπὸσοῦ εὐεργετούμενοι. Xenoph. Memor. IV. 5. 9. ἡ δ' ἐγκράτεια μόνη ποιοῦσα χαρτερεῖν τὰ εἰρημένα.

17. *hic quidem Euclio est.* Notanda est vis verbi *quidem*, quod in te-

Scit peperisse jam, ut ego opinor, filiam suam; nunc mihi incertum est,
Quid agam: abeam an maneam! fugiam an adeam; quid agam
(edepol nescio.
Euc. Quis homo hic loquitur? *Lyc.* ego sum, miser. *Euc.* imo
(ego sum, et misere perditus,
Cui tanta mala moestitudo obtigit. *Lyc.* animo bono es.
Euc. Quo obsecro pacto esse possum? *Lyc.* quia istuc facinus quod
(tuum
Sollicitat animum, id ego feci, et fateor. *Euc.* quid ego ex te audio?
Lyc. Id quod verum est. *Euc.* quid ego de te merui, adulescens, mali?
Quamobrem ita faceres, meque meosque perditum ires liberos?
Lyc. Deus impulsor mihi fuit; is me ad illam illexit. *Euc.* quo modo?
Lyc. Fateor peccavisse me, et me culpam commeritum scio.
Id adeo te oratum advenio, ut animo aequo ignoscas mihi.
Euc. Cur id ausus facere, ut id quod non tuum esset tangeres?
Lyc. Quid vis fieri? factum est illud; fieri infectum non potest.
Deos credo voluisse: nam ni vellent, non fieret scio.
Euc. At ego deos credo voluisse, ut apud me te in nervo enicem.
Lyc. Ne istuc dixis. *Euc.* quid tibi ergo meam, me invito, tactio est?
Lyc. Quia vini vitio atque amoris feci. *Euc.* homo audacissime,
Cum istacin' te oratione huc ad me adire ausum, impudens?

libus, vel indignationem, vel admirationem, vel metum, denotat. Noster Capt. III. 5. 92.

Vis haec quidem est, et trahi et
(trudi simul.

Sueton. Caesar. 82. *ista quidem vis est.* Vid. Schwarz. ad Plinii Panegyr. cap. 25, qui tamen Gierigium nactus est obloquentem.

23. *Sollicitat.* i. e. contristat, disturbat. Vid. Donat. ad Terent. And. IV. 2. 6. et eadem fab. V. 3. 16. Tibul. III. 5. 12.

Nec cor sollicitant facta nefanda
Virg. Aen. IV. 379. *(meum.*
ea cura quietes
Sollicitat. Livius XXI. 10. *Ablegandum eo, unde nec ad nos nomen famaque ejus accedere, neque sollicitare quietae civitatis statum possit.*

32. *apud me te.* Cum Goellero transposui. Libri Mss. omnes et editiones habent *apud te me:* altera tamen ratio magis congruens videtur irato minacique seni.

35. *ad me adire ausum.* Recte Lambinus annotat hic supplendum esse, *par est? aequum est?* aut tale quid: est infinitivus indignationis. Sic Virg. Aen. I. 37.

mene incepto desistere victam?
Mi[illegible] Italia Teucrorum averte-
(re regem?

Nam si istuc jus est, ut tu istuc excusare possies,
Luci claro deripiamus aurum matronis palam;
Post id, si prehensi sumus, excusemus, ebrios
Nos fecisse amoris causa; nimis vile est vinum atque amor,
Si ebrio atque amanti impune facere, quod lubeat, licet.
Lyc. Quin tibi ultro supplicatum venio ob stultitiam meam.
Euc. Non mihi homines placent, qui, quando male fecerunt, purgitant.
Tu illam scibas non tuam esse; non attactam oportuit.
Lyc. Ergo, quia sum tangere ausus, haud causificor quin eam
Ego habeam potissimum. *Euc.* tun' habeas me invito meam!
Lyc. Haud te invito postulo, sed meam esse oportere arbitror.
Quin tu eam invenies, inquam, meam illam esse oportere, Euclio.
Euc. Jam quidem hercle te ad praetorem rapiam et tibi scribam dicam,
Nisi refers. *Lyc.* quid tibi ego referam? *Euc.* quod surripuisti meum.
Lyc. surripui ego tuum? unde? aut quid id est? *Euc.* ita te
(amabit Juppiter,
Ut tu nescis? *Lyc.* nisi quidem tu mihi, quid quaeras, dixeris.
Euc. Aulam auri, inquam, te reposco, quam tu confessus mihi

39. *nimis vile est.* Signif. si vinum et amor nobis concederent quidvis impune facere, non parari possent tam vili pretio. Omnes enim vinum et amorem emerent, quae propterea maxime constarent. Fere ut Philemon dicit de lacrymis.

εἰ τὰ δάκρυ' ἡμῖν τῶν κακῶν ἦν (φάρμακον
ἀεὶ θ' ὁ κλαύσας τοῦ πονεῖν ἐπαύετο,
ἠλλαττόμεσθ' ἂν δάκρυα, δόντες (χρυσίον. κ. τ. λ.

Hos versus Muretus ita vertit de Graecis:

Here, si querelis, ejulatu, fletibus,
Medicina fieret miseriis mortalium,
Auro parandae lacrimae contra fo- (rent. etc.

Sunt autem hi et seq. versus, per quos Muretus decepit Scaligerum, dicens esse Trabeae. Vid. Phil. Fragm. p. 328. ibique Clerici annot.

48. *Jam quidem — dicam.* Assentior Goellero hunc versum, qui in editionibus post *nisi refers — meum* collocatur, transponenti statim post, *meam illam esse oportere Euclio.*

48. *tibi scribam dicam.* Locutio sumta a Graecis: hi enim δίκην γράφεσθαι dicebant: i. e. accusare. Imitatur Plautus in comoediis Palliatis instituta, sic et locutiones Graecorum, licet etiam in iis non semel multa, ad Romanorum mores depicta, misceat. Similiter Cicero Verrin. II. 15. init. *scribere dicam* dixit, propter Siculos, qui Graece loquebantur: de formula *scribere*, et *subscribere dicam* vid. Gronov. Lect. Plaut. pag. 286.

Te abstulisse. *Lyc.* neque edepol ego dixi, neque feci. *Euc.* negas?
Lyc. Pernego imo; nam neque ego aurum, neque istanc aulam, quae siet,
Scio nec novi *Euc.* illam, ex Silvano luco quam abstuleras, cedo,
I, refer: dimidiam tecum potius partem dividam.
Tametsi fur mihi es, molestus non ero furi: refer.
Lyc. Sanus tu non es, qui furem me voces: ego te, Enclio,
De alia re rescivisse censui, quod ad me attinet.
Magna est res, quam ego tecum otiose, si otium est, cupio loqui.
Euc. Dic bona fide: tu id aurum non surripuisti? *Lyc.* bona.
Euc. Neque scis, quis abstulerit? *Lyc.* istuc quoque bona. *Euc.* atque
(id si scies,
Qui abstulerit, mihi indicabis? *Lyc.* faciam. *Euc.* neque partem tibi
Ab eo, quiqui est, indipisces, neque furem excipies? *Lyc.* ita.
Euc. Quid si fallis? *Lyc.* tum me faciat quod vult magnus Juppiter.
Euc. Sat habeo; age, nunc loquere quid vis. *Lyc.* si me novisti minus,
Genere qui sim gnatus; hic mihi est Megadorus avonculus:
Meus fuit pater Antimachus; ego vocor Lyconides;
Mater est Eunomia. *Euc.* novi genus; nunc quid vis? id volo
Noscere ex te. *Lyc.* filiam tu habes. *Euc.* imo eccillam domi
Lyc. Eam tu despondisti, opinor; meo avunculo. *Euc.* omnem
(rem tenes.
Lyc. Is me nunc renunciare repudium jussit tibi.

59. *de alia re rescivisse censui, quod etc.* De hac enallage vid. Gron. Observat. III. 2.

70. *eccillam.* Eccum, eccillam Plautus non solum de praesentibus, seu advenientibus, verum etiam de absentibus, qui in vicinia sunt usurpat. Amph. prol. 120.

Nam meus pater intus nunc est, (*eccum, Juppiter.*
Capt. I. 2. 66. *Nam eccum hic captivum adolescen-*
(*tem Alium.*

71. *eam tu despondisti.* Donat. ad Terent. And. I. 1. 75. dicit, *spondere* patris, *despondere* adolescentis esse: vereor ut verum sit: neque hic locus unicus mihi dubitationis argumento est; nam saepissime optimi scriptores *despondere* usurpant ubi de patre sermo est. Noster haec ipsa fabula II. 2. 62. et 78. Cistell. II. 1. 22.

Si illam uxorem duxero mihi unquam,
quam despondit pater.

Terent. Heaut. IV. 5. 31.

at ego illi neque do, neque despondeo. Cicero ad Attic. I. 3. *Tulliolam C. Pisoni L. F. Frugi despondimus.* Ovid. Met. IX. 714.

Cum pater, Iphi, tibi flavam despon-
(*det Jänthen.*

Euc. Repudium? rebus paratis; atque exornatis nuptiis!
Ut illum di immortales omnes deaeque, quantum est, perduint,
Quem propter hodie auri tantum perdidi infelix, miser.
Lyc. Bono animo es, et benedice; nunc quae res tibi et gnatae tuae
Bene feliciterque vortat; ita di faxint, inquito.
Euc. Ita di faciant. *Lyc.* et mihi ita di faciant; audi nunc jam.
Qui homo culpam admisit in se, nullus est tam parvi preti,
Quin pudeat, quin purget sese: nunc te obtestor, Euclio,
Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam,
Ut mihi ignoscas, eamque uxorem mihi des, ut leges jubent:
Ego me injuriam fecisse filiae fateor tuae,
Cereris vigiliis, per vinum, atque impulsu adolescentiae.
Euc. Hei mihi! quod facinus ex te ego audio! *Lyc.* cur ejulas,
Quem ego avum feci jam ut esses filiae nuptiis?
Nam tua gnata peperit decumo mense post; numerum cape;
Ea re repudium remisit avunculus, causa mea.
I, intro, exquaere, sitne ita ut ego praedico. *Euc.* perii oppido:
Ita mihi ad malum malae res plurimae se agglutinant.
Ibo intro, ut quid hujus rei sit, sciam. *Lyc.* jam te sequor.
Haec propemodum jam esse invado salutis res videtur.

74. *quantum est* i. e. quotquot sunt: Ruhnken. ad Terent Heaut. IV. 6. 6. ubi haec etiam occurrunt confert. Catul. III. 2.

Et quantum est hominum venus- (*tiorum.*
Terent. Phorm. V. 7. 10.

Quanta quanta haec mea paupertas (*est,*

pergit: Sic *quicquid* dicitur pro *quicunque.* Horat. Epod. V. 1.

At o deorum quidquid in coelo regit.

Livius III. 25. *quidquid deorum est:* Vid. Drakenb. ad Liv. XXXII. 37. 5.

79. *culpam admisit in se:* admittere in se culpam, dicitur eleganter pro, committere culpam, peccare, simpliciter. Noster Amph. III. 2. 4.

quae neque ego in me admisi.
Terent. Adel. IV. 5. 48.

Me hoc delictum admisisse in me, (*id mihi vehementer dolet.*

Cicero pro Cluent. 60. *quid unquam Avitus in se admisit.* Livius XXXIX. 18. *in se aut alios admiserant.*

84. *Cereris vigiliis, per vinum, atque impulsu adolescentiae.* Conferatur Ovid. Amor. I. 6. 59.

Nos et Amor, vinumque nihil mo- (*derabile suadent;*
Illa pudore vacat, Liber amorque (*metu.*

87. *numerum cape.* Recte Taubmannus explicat dicens signif. *tempus supputa* scil. a θεσμοφοριοις.

Nunc servum esse ubi dicam meum Strobilum? non reperio.
Nisi etiam hic opperiar tamen paulisper; postea intro
Hunc subsequar; nunc interim spatium ei dabo exquirendi
Meum factum ex gnatae pedissequa, nutrice anu; ea rem novit.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

STROBILUS. LYCONIDES.

Di immortales, quibus et quantis me donatis gaudiis:
Quadrilibrem aulam auro onustam habeo; quis est me ditior?
Quis me Athenis nunc magis quisquam est homo, cui di sint propitii?
Lyc. Certo enim ego vocem hic loquentis modo me audire visus (sum. *Strob.* hem!
Herumne aspicio meum? *Lyc.* video ego hunc Strobilum, servum (meum?
Strob. Ipsus est. *Lyc.* haud alius est. *Strob.* congrediar. *Lyc.* (contollam gradum.
Credo ego illum, ut jussi, eampse anum adisse, hujus nutricem virginis.
Strob. Quin ego illi me invenisse dico hanc praedam atque eloquor?
Igitur orabo ut manu me mittat: ibo et eloquar.
Repperi. *Lyc.* quid repperisti? *Strob.* non quod pueri clamitant
In faba se repperisse. *Lyc.* jamne autem, ut soles, deludis?

94. *nisi etiam*: *nisi* pro *sed*: vide supra ad II. 6. 3. *etiam* pro *etiam nunc*, *adhuc*; Terent. Hec. IV. 3. 8. *de uxore incertus sum etiam.* Virg. Aen. VI. 485. *Etiam currus, etiam arma tenentem.* ubi vid. Servius. Cicero Verrin. III. 23, *et quum iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est.*

10. *quod pueri clamitant in faba se repperisse.* Haec quum vix sine explicatione intelligenda sint, Gronovii verba, quibus locutionis vim exposuit describam. — Est proverbium, in quo retunditur atque eluditur jactantia eorum, qui res nihili, tanquam rarae ab se inventas, et ut alio proverbio dicitur, pro thesauro carbones nobis ostendant. Ideo servus, significans non parvam rem neque levem repperisse se, negat inventum sibi nihil majus quam quod pueri clamitant se repperisse in faba. Explicant de vermiculo in isto genere leguminis, quem

Strob. Here, mane, eloquor; jam ausculta. *Lyc.* age ergo, loquere.
(*Strob.* repperi hodie,
Here, divitias nimias. *Lyc.* ubinam? *Strob.* quadrilibrem, inquam,
(aulam auri plenam.
Lyc. Quod ego facinus audio ex te? *Strob.* huic surpui seni Euclioni.
Lyc. Ubi id est aurum? *Strob.* in arca apud me; nunc volo manu
(me emitti.
Lyc. Egone te manu emittam, scelerum cumulatissime? *Strob.* abi,
here, scio
Quam rem geras; lepide, hercule, ego animum tuum tentavi.
Ut jam eriperes, apparabas; quid faceres, si reperiissem?
Lyc. Non potes probasse nugas; i redde aurum *Strob.* reddam
(ego aurum?
Lyc. Redde, inquam, ut huic reddatur. *Strob.* ah, unde? *Lyc.*
(quodmodo fassus es esse
In arca. *Strob.* soleo hercle ego garrire nugas. *Lyc.* ita loquor: scin'
Quomodo? *Strob.* vel hercule enica me, nunquam a me feres hinc.

DESUNT RELIQUA.

Midam vocant. Eum autem solitos pueros quaerere in fabis; et qui invenisset, inde exultare ac velut triumphum agere. — Tale est apud Juvenal. Sat. VIII. 29. ubi vid. Rupertus.

21. *ita loquor.* Facio cum Goellero, hae verba Lyconidi adscribenti, ut sensus sit: *tu te garrire nugas ais; at ego ita loquor. scin' quomodo?* ultima minantis enim.

SUPPOSITA.

Lyc. *Quid hic quondam pervicus addit?*
Non feramn' unquam? Strob. *quod non habeo.* Lyc. *efferaris cave,*
Nisi actutum seni id auri redditio est. Strob. *sive perpensus ferar*
Libitinarius, sive pollinctorius efferar, nunquam dabo nisi fodiam
Noviter arrogiam. Lyc. *vaeh capiti tuo.* Strob. *imo senis et capiti*
Et pectori, qui auri tantum perdidit. Lyc. *quis repperit?*
Strob. *Quem repperisse vis.* Lyc. *qui in arca illud subreptum*
(habere
Autumat. Strob. *quam pulcre tibi, here, conniverent oculi, si id*
Factum fateor. Ludo: quod lusi tecum, non par est identidem
Serio vortier. Lyc. *at nunc jam ne me irritassis, i, et aurum*
Redde: susque deque haud agites. Strob. *here, id si repperibitur,*
Certum est geminam te lanceam confitentem icere. Lyc. *i, et redde.*
Strob. *Vis crassum?* Lyc. *i, et redde.* Strob. *atat incassum*
(quaeritas.
Lyc. *I, et redde. ego ad senem propero, ut quid comitiis*
Proxumis videam. Senex aulam auri perdidit, Megadorus
Repudium renunciat. Filiam peperisse vitio resciit. Strob. *hero*
Meo, quantum ego video, nemo est benignior. Alii non quod
Inventum est non occulunt, modo negant: occulunt vaniloqui.

Sed aliud post aliud si qua sit opportunitas, harpagatum
Volunt, si Eleusinie sit, facilem deam creduant; si Cotytto,
Non videre quem batuat. Ita neque amicis, neque cognatis,
Neque dis parcunt, dum bene parcant sibi. istic quidem,
Ne miserum faciat senem, aut illius familiam opulentam,
Auri aulam, grandem, onustam, plenam, referri jubet,
Ut se faciat olim miserum, atque suam familiam. Ast ego partem
Impartiri malim, unde redimar. Quod vortet bene, picus
A sinistris cantilat, qui auri custos hercle olim traditur.
Ibo, et aulam referam: quod illaec mihi bene avis occinat.

SUPPLEMENTUM AULULARIAE,

ANT. CODRO URCEO AUCTORE.

— — — Quod non habeo Lyc. feram.
Velis nolis; cum te quadrupedem strinxero:
Et herniosos testes ad trabem tibi
Divellam appenso. Sed cur in fauces moror
Hujus scelesti ruere? et animam protinus
Cur non compello facere iter praeposterum?
Das, an non? Strob. *dabo.* Lyc. *des ut nunc, non olim volo.*
Strob. *Do jam: sed me animam recipere, sinas, te rogo.*
Ah Ah! quid, ut dem, poscis, here? Lyc. *nescis, scelus?*
Et aulam auri plenam quadrilibrem mihi
Audes negare, quam dixti modo
Te arripuisse? heia, jam ubi nunc lorarii?
Strob. *Here, audi pauca.* Lyc. *non audio. Lorarii,*
Heus heus. Lor. *quid est?* Lyc. *parari catenas volo.*
Strob. *Audi quaeso, post me ligare jusseris*
Quantum libet. Lyc. *audio; sed rem expedias ocius*

Strob. *Si me torqueri jusseris ad necem, vide*
Quid consequare. primum servi exitium habes:
Deinde, quod concupisces, ferre non potes.
At si me dulcis libertatis praemio
Dudum captasses, jam dudum votis fores
Tuis potitus. Omnes natura parit liberos,
Et omnes libertati natura student.
Omni malo, omni exitio pejor servitus:
Et quem Juppiter odit, servom hunc primum facit.
Lyc. *Non stulte loqueris.* Strob. *audi reliqua nunc jam.*
Tenaces nimium dominos nostra aetas tulit,
Quos Harpagones, Harpyias et Tantalos
Vocare soleo; in opibus magnis pauperes,
Et sitibundos in medio Oceani gurgite:
Nullae illis satis divitiae sunt, non Midae,
Non Croesi: non omnis Persarum copia
Explere illorum Tartaream ingluviem potest.
Inique domini servis utuntur suis,
Et servi inique dominis nunc parent suis:
Sic fit neutrobi, quod fieri justum foret.
Penum, popinas, cellas promptuarias
Occludunt mille clavibus parci senes.
Quae vix legitimis concedi natis volunt,
Servi furaces, versipelles, callidi,
Occlusa mille clavibus sibi reserant:
Furtimque raptant, consumunt, liguriunt.
Centena nunquam furta dicturi cruce.
Sic servitutem ulciscuntur servi mali
Risu jocisque. Sic ergo concludo, quod
Servos fideles liberalitas facit.
Lyc. *Recte quidem tu, sed non paucis, ut mihi*
Pollicitus. Verum si te facio liberum,
Reddes, quod cupio? Strob. *reddam: sed testes volo*
Adsint, ignosces, here; parum credo tibi.

Lyc. *Ut lubet; adsint vel centum; jam nil moror.*
Strob. *Megadore, et tu, Eunomia, adeste precor, si libet.*
Exite: perfecta re mox redibitis.
Meg. *Qui nos vocat? hem Lyconide.* Eun. *hem, Strobile, quid est?*
Loquimini. Lyc. *breve est.* Meg. *quid est?* Strob. *vos testes voco.*
Si quadrilibrem aulam auri plenam huc adfero,
Et trado Lyconidae, Lyconides me manu
Mittit; jubetque juris esse me mei.
Itane spondes? Lyc. *spondeo.* Strob. *jamne audistis hoc*
Quod dixit? Meg. *audivimus.* Strob. *jura enim per Jovem.*
Lyc. *Hem quo redactus sum alieno malo!*
Nimis procax es. quod jubet faciam tamen.
Strob. *Heus tu, nostra aetas non multum fidei gerit:*
Tabulae notantur: adsunt testes duodecim:
Tempus locumque scribit actuarius;
Tamen invenitur rhetor, qui factum neget.
Lyc. *Sed me cito expedi, sis.* Strob. *hem silicem tibi.*
Lyc. *Si ego te sciens fallam, ita me ejiciat Diespiter*
Bonis, salva urbe et arce, ut ego hunc lapidem. Satin'
Jam feci tibi? Strob. *satis. ut ego aurum apportem, eo.*
Lyc. *I Pegaseo gradu, et vorans viam redi.*

LYCONIDES. STROBILUS. MEGADORUS. EUNOMIA. EUCLIO.

Grave est homini pudenti morologus nimis
Servus, qui sapere plus volt hero suo.
Abeat hic Strobilus in malam liber crucem,
Modo mihi apportet auram auro puro gravem,
Ut Euclionem socerum ex luctu retraham
Ad hilaritatem, et mihi conciliem filiam,
Ex compressu meo novam puerperam.
Sed ecce redit onustus Strobilus. ut reor,

Aulam apportat. et certe est aula, quam gerit.
Strob. *Lyconide, apporto inventum promissum tibi,*
Aulam auri quadrilibrem, num servus fui?.
Lyc. *Nempe. o dii immortales, quid video, aut quid habeo?*
Plus sexcentos Philippeos ter et quater.
Sed evocemus Euclionem protinus.
Lyc. *O Euclio, Euclio!* Meg. *Euclio, Euclio!* Euc. *quid est?*
Lyc. *Descende ad nos: nam dii te servatum volunt.*
Habemus aulam. Euc. *habetisne, an me deluditis?*
Lyc. *Habemus, inquam. modo, si potes, huc advola.*
Euc. *O magne Juppiter! o Lar familiaris, et*
Regina Juno, et noster thesaurarie
Alcide, tandem miserari miserum senem!
Oh, oh, quam laetis, aula, tibi amicus senex
Complector ulnis, et te dulci capio osculo!
Expleri nequeo mille vel complexibus.
O spes, o cor! luctum depulverans meum.
Lyc. *Auro carere semper duxi pessumum*
Et pueris, et viris, et senibus omnibus.
Pueros postare cogit indigentia,
Viros furari, mendicarier ipsos senes.
At multo pejus est, ut video nunc, supra
Quam quod necesse est nobis auro opulescere.
Heu quantas passus est aerumnas Euclio,
Ob aulam paulo ante a se deperditam!
Euc. *Quoi meritas referam grates? an diis, qui bonos*
Respectant homines? an amicis, rectis viris?
An utrisque? utrisque potius. Et primum tibi,
Lyconide, principium et auctor tanti boni:
Hac ego te aula auri condono: accipias libens:
Tuam hanc esse volo, et filiam meam simul,
Praesente Megadoro, et sorore ejus, proba
Eunomia. Lyc. *et habetur, et refertur gratia,*
Ut meritus es, socer exoptatus mihi, Euclio.

Euc. *Relatam mihi satis putabo gratiam,*
Si domum nostrum, et me ipsum, accipias nunc libens.
Lyc. *Accipio, et Euclionis volo mea sit domus.*
Strob. *Quod restat, here, nunc memento, ut sim liber.*
Lyc. *Recte monuisti: Esto merito liber tuo,*
O Strobile, et turbatam jam intus coenam para.
Strob. *Spectatores, naturam avarus Euclio*
Mutavit: liberalis subito factus est.
Sic liberalitate utimini vos quoque:
Et, si Fabula perplacuit, clare plaudite.

THESES.

I.

Delectus classicorum scriptorum, a veteribus criticis institutus, partim profuit, partim obfuit literarum studiis.

II.

Liber *vitae X Oratorum* Plutarcho abjudicandus esse videtur.

III.

Recte Valckenarius versum 51 Phoenissarum

ὅθεν τύραννος τῆσδε γῆς καθίσταται. spurium judicat.

IV.

Verba Homerica *νυκτὸς ἀμολγὸς* non accipienda sunt de tempore quo *mulgentur* caprae, sed de *media nocte*.

V.

In Sophoclis Philoctete versu 1443 pro:

ἡ γὰρ εὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς legendum οὐ γὰρ κ. τ. λ.

VI.

Thucydides non audivit Herodotum in ludis Olympicis suas historias recitantem.

VII.

Ex Platonis Xenophontisque scriptis confici licet, magnam inter eos exstitisse aemulationem.

VIII.

Lectio Plautinarum fabularum in primis commendanda est ad sermonis Latini proprietatem cognoscendam.

IX.

Fuit Aristophanes egregius civis.

X.

Porsoni conjecturam Eurip. Hecub. versu 41. γέρας λαχεῖν pro γέρας λαβεῖν legentis, improbamus.



This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

3 2044 085 219 343